

60.  
84  
72

8  
706

130





1. Calvini s. Joh. Catechismus, Colonia, 1559.  
 2. Hoffer s. Joh. Icones Catecheseos, Wittenberg, 1560.  
 3. Jacobi s. Leon. Enchi-ridion principiorum Locorum s. Scripturae Lipsiae 1552.  
 4. Chytricus s. Dav. De vera Dei Agnitio, ne Wittenbergae 1584.

# DE PAPATV

FUGIENDO, ET AVGVSTANA

CONFESSIOE RETINENDA,

ORATIONES DVAE.

Habitæ in inclytæ  
Schola Halensi

à

IOHANNE OLEARIO

S. S. Theologiæ D.

CVM PRAEFATIONE GRA

tulatoria ad Reverendis. EPISCO


PVM & Capitulum Hal-  
berstadense.



HALÆ SAXONVM  
TYPIS ACHATII LISKANI,

Anno Christi

1592.



ILLVSTRIS,

SIMO PRINCIPI AC DO-  
MINO D. HEINRICO IVLIO EPIS-  
copo Halberstadenſi, Duci Brunſ-  
vicenſi & Lunebur-  
genſi.

NEC NON

REVEREN-

DIS, MAGNIFICIS, NOBILLI-  
TATE VETVSTI GENERIS, VIRTV-  
tis & ſinceræ Religionis amore, pa-  
trocinioq; conſpicuis Dominis, PRÆE-  
POSITO, DECANO, totique Colle-  
gio Canoniorum & PROCERVVM Ec-  
cleſiæ & Episcopatus Halberſtaden-  
ſis, Dominis ſuis & clementiſſi-  
mo, & ſemper honoran-  
dis. S. P.



VOD POTEN-  
tiſſimus Babylonio-  
rum Monarcha Ne-  
buchadnezzar in exor-  
dio ſui pietate pleni  
Programmatis, ad v-  
) ( 2 niver-

P R A E F A T I O.

niversos subditos Imperij, Daniel. 4. scribit, Officij mei esse iudico, referre signa & mirabilia, quæ DEVS altissimus in me edidit: Sunt enim signa eius permagna, & portenta eius ingentia. Id non dubito Vobis etiam, ILLVSTRISS. PRINCEPS, REVERENDI & MAGNIFICI DOMINI, sæpius in mentem venire, quoties & præteritum, & præsentem Religionis, Reique publicæ vestræ statum diligentius contemplantini. Quamvis enim tale nihil in Halberstadensi vestra Diœcesi gestum sit, quale stupendo DEI & inscrutabili iudicio contigit illi Babylonico Regi, ex homine in belluam, ex bellua rursus in hominem transformato, quam furoris speciem non nulli ad Lycanthropian, Septentrionalibus populis (vt perhibent) vsitatam, referunt: tamen non minus mirabilia, vel etiam commemorabilia contigisse nuper inter vos, omninò iampridem iudicavi. Cum enim de spiritualibus Divinæ Maiestatis operibus, ad collectionem & Sanctificationem Ecclesiæ

siæ

P R A E F A T I O .

siæ pertinentibus , non ex oculorum intuitu , non ex carnis sensu : sed ex cælestium oraculorum admonitu statuere debeamus , prout fidei , non Visionis articulus est , Credo Ecclesiam sanctam Catholicam : dignum sanè est & iustum , Propheticas voces , Prophetica Encomia talium mutationum attendere , quibus expurgato detestabilem superstitionum fermento , sinceritas Euangelij restituitur . Indignum verò , carnalis prudentiæ momentis , sublimia DEI munera ponderare . Ut Gallus AEsopicus repertam in fimo gemmam hordeacco grano longè viliozem ducit : vt pueri sua crepundia præ magnis thesauris & kinceljs exosculantur : ita filij huius seculi mundanas res cernui demirantur , Divinas dispiciantur .

Atqui Spiritus Sanctus cælestia bona mirificè prædicat , terrestria flocci non pendit . De propagatione Euangelij , conversione hominum ad salutiferam vnici Mediatoris Christi Fidem magnificè rhetoricatur : de

PRÆFATIO.

perituris parcius, multoque contem-  
 tius loquitur: ut sic caduca præfenti-  
 aque contemnere discamus: in æterno-  
 rum amorem toti rapiamur. Esaias  
 cap. XI. propagationem Euangelij, gen-  
 tiumque conversionem prænunciatis:  
 non minora in hoc opere Divinæ Ma-  
 iestatis agnoscit miracula, quam Dani-  
 el in Metamorphosi Nebuchadnezaris  
 describit, Habitabit lupus cum agno,  
 (inquit) & Pardus cum hædo accuba-  
 bit: Vitulus, & leo, & ovis simul mora-  
 buntur, & puer parvulus minabit eos.  
 Iuencus & ursus vnâ pascuntur, simul  
 requiescent catuli eorum. Leo quasi  
 bos comedet paleas, & delectabitur  
 infans super foramen Aspidis, &  
 ablactatus manum suam mittet in  
 cavernam Basilisci: non nocebunt,  
 non occident in universo monte san-  
 cto meo: quia repleta est terra sci-  
 entia DOMINI, tanquam Dilu-  
 vio maris cooperta. Enim verò si-  
 cut Daniel P. memorat, Nebuchad-  
 nezarem, qui regijs dapibus, regio  
 luxu nuper circumfluxerat, gramen  
 instar



instar bovis comedisse, cum bestijs silvestribus degisse: sic Esaias immanem belluarum feritatem, miraculosè per adventum & doctrinam Messiae, mansuefaciendam prænunciat. ET profectò, si quis penitus attendat, quanta totius populi decora & ornamenta sint Principes & gubernatores religiosi, rectè DEVM invocantes, communes piorum pastorum, pupillorum, & viduarum tutores & nutricij: quales fuere, David, Salomon, Iosias, Constantinus M, Theodosius, Martianus, & similes Orthodoxæ Fidei propugnatores: contrà verò, qualia monstra fuerint, Antiochus Epiphanes, Nero, Decius, Maximinus, Maxentius, Diocletianus, Valens, Iulianus, similesque pestes generis humani: Si quis conferat inter se Manassen, crudelissimum adhuc tyrannū & perversum, cum Manasse verâ poenitentia ad meliorem frugem converso: Saulum persecutorem, cum Paulo Gentium Doctore: Augustinum, Manichæ sectæ defensorē, cū Orthodoxo Hipponēsis Ecclesiæ Episcopo:

PRÆFATIO.

copo: quàm mirabilem deprehend et discrepantiam & metamorphosin? An non eximium Divinæ benignitatis miraculum, & quidem vel mortui resurrectione, vel leprosi mundatione gloriosius esse confitebitur, hominis ad Deum conversionem, mortalis ad immortale decus, exaltationem?

Quare meritò celebrandum læta gratiarum actione censemus, tanquam insigne DEI beneficium, imò prodigium supernaturale: quoties Filius DEI, sedens ad dextram æterni patris, donaq; hominibus distribuens, alicui Ditioni, Ecclesiæ, vel Vrbi, puram Euangelij lucem muneratur: & tenebras regni Pontificij claritate Verbi sui dispellit: vincula tyrannidis Antichristianæ dirumpit.

Disputent alij causas, cur iam nulla fiant amplius miracula: Negent etiam pertinaciter vlla iam fieri: Mirrentur imperiorum mutationes, ruinas, instaurationes, periodos, & quidquid in Politicis vel œconomicis admirabiliter geritur; quod sanè non est vnius gener-

P R A E F A T I O.

us generis. Mihi summæ res admirationis esse videtur, quod reperiuntur hoc miserabili seculo, viri sapientia & rerum usu præstantes, qui doctrinam Ecclesiarum nostrarum, tam varijs morum, & errorum, & sectarum scandalis deformatam, tot periculis & incommodis propositam: tot calumniarum plaustris penè obrutam, arbitrentur publicè recipiendam. Magna sunt hæc Opera DOMINI, inquit Psal. CXI. Qui scrutatur illa, non potest non sincera voluptate perfundi.

In primis autem Ecclesiæ vestræ Cathedralis, ILLVSTRISS. Princeps, Reverendi & Magnifici Domini, Reformatio, vel propter diuturnam cunctationem, & multorum annorum frustraneam molitionem, vel propter hominum diffidentiam, vel propter inveteratam superstitionum crassissimarum pertinaciam: quibus tanquam scopulis affixi quidam simplices hæserant, perquam admirabilis in hominum plurimorum oculis & mentibus fuit. Et quidem isto potiss. tempore,

¶

pore,

PRÆFATIO.

pore, quo nonnulli Proceres vestri Ordinis ac dignitatis, alibi propter abiectum Pontificis Rom. iugum, durissimè sunt afflicti & oppressi. Terrent eiusmodi documenta multorum animos: omnemque fiduciam currendi viam mandatorum DOMINI quate faciunt. Accedit impudica quorundam impudentissimorum Balatronum in colluvie Iesuitarum impudentia: qui tam virulentis calumnijs onerant nostram professionem, editis Latinis & Germanicis, ceteroqui non proflus indoctis voluminibus, ut mirandum nequam videri queat, sistentes etiam, qui rectè effugerunt inquinamenta Babylonicæ meretricis, nutarent: infirmi & vacillantes planè ruerent, fortissimi trepidarent. Calumniæ nanque præsertim tam exquisitæ, conturbare possent etiam sapientes, & frangere robur cordis eorum, inquit Salomon.

Sed (ut cum Virg. loquar) Vicit iter durum pietas. Plus apud vos valuit Mandatum Divinum exire iubens ex Babylone; quàm periculum humanum: plus

plus terruerunt minæ cælestes: quæ subita  
 tam interneccionem pænasq; tremendas  
 in ferorum idololatriæ Antichristianis  
 denunciant, quàm terriculamenta hor-  
 tatorum impietatis: plus movit vos  
 exemplum vicinorum Procerum incly-  
 tæ Magdenburgensis Ecclesiæ: qui to-  
 tos iam annos XXV. ex quo Anti-  
 christi superstitiones explorerunt, mag-  
 na cum laude Veritatis & Pacis a-  
 mantissimos cultores, piorumque Pa-  
 storum in Cathedrali suo templo re-  
 ligiosos auditores, Sacramentorum cæ-  
 lestium veneratores, cultus Divini pro-  
 pugnatores, Ecclesiarum & Scholarum  
 nutricios liberalissimos se præstitere:  
 Divinamque protectionem & benedi-  
 ctionem in hunc usque diem multifa-  
 riam sensere: ipsis que factis calu-  
 mnias Papicolarum & Gnathonum  
 Pontificis talium, qui meretricia fron-  
 te palpabiles blasphemias vel fucare,  
 vel negare haud erubescunt, refu-  
 tavere. FAXIT DOMINVS IE-  
 SVS CHRISTVS, vt non modo  
 ipsi etiam totidem annos, sed ad finem  
 usque

P R A E F A T I O

vsque seculi in hac agnita veritate feliciter perseveretis, omnesque tentationes & machinationes Satanæ, quas in tam præclaro opere declinari penitus posse, vix ac ne vix quidem sperare licet, viriliter animoseq; superetis.

Quod ut me toto pectore vobis precari, reverenter & ex animo Reformationi susceptæ favere testarer: has Orationes de Papatu Fugiendo, & sincera Confessionis Augustanæ doctrina amplectanda, retinendaquæ sub venerando vestri nominis auspicio, volui publicare: measque cogitationes cum vestris, quæ vos dudum procul dubio non mediocriter exercuerunt, communicare. In Spem maximam, & ut confido, verissimam erectus, futurum, ut V. C. & R. M. causâ longè pluribus hic labor, alioqui Scholasticus & exilis, tantumque studiosæ iuventuti in nostro Gymnasio Halensi destinatus, tantò fructuosior sit & iucundior. Deinde verò, captandam putavi hoc modo occasionem, censuras & commonefactiones vestras, de hac

PRÆFATIO.

de hac materia, ceu longo rerum & meditationum assiduarum usu confirmatas cognoscendi, sicuti par est, inter Ecclesiarum Antistites & Ministros, sententiarum vigere communicationem. Fieri enim potest, ut in tam arduo Problemate, quod iam annos plusquam LXX. non tantum in Imperio Romano, sed & per finitima Regna, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Dantiæ, Sueciæ, Poloniæ, Hungariæ, summis animorum contentionibus disputatum, humanoque multarum Myriadum sanguine profuso nequaquam adhuc satis decisum & sopitum est, quædam sint à me dicta minus circumspectè, quæ iustam reprehensionem facile mereantur. Quod enim Apostolus asserit, de ijs etiam, qui retinent vnicum illud verum Fundamentum, IESVM CHRISTVM, ut foeni & stipularum aliquid vspian superstruatur: idem sanè fatendum, cuius licet Orthodoxo Ecclesiæ Doctore sæpius inter scribendum vsuvenire. De summa verò doctrinæ, & primarijs Argumentis certus sum per DEI gratiam,

tiam cum in Verbo DEI, & Partib. Catechismi singulis ea singulatim sint fundata: quamvis, vt simplicia puerili- àque, contemni ab inflatis Sophistis possint, everti tamen nulla vnquam ratione posse.

Cumque Apostolus 2. Cor. 1. suo nos exemplo moneat, operam dare, vt ex pluribus personis DEO Opt. Max. pro beneficijs acceptis agantur gratiae: proque omnibus in sublimitate constitutis preces ardentes offerantur. 1. Timoth. 2. Nec dubium sit, quin Satanae hocce conatus vestros, omni laude dignissimos, diris & Papae Rom. Anathematismis, & Esauitarum calumnijs sic deformaturus, similibusque molitionib. animos vestros fatigaturus. Quem admodum Scripturae consentiens Experientia testatur, Non fieri sine periculo facinus magnum & memorabile: Visum est hitce pagellis, & IESU CHRISTO Datori muneris huius preciosissimi, planeque inestimabilis, votiva Laudis sacrificia persolvere: & plures vnà mecum ad preces assiduas pro firmando tam memorabili cona-



bonatu suscitare. Cum enim ad pri-  
 mam & secundam Orationis Dominicæ  
 petitionem, propagatio sinceræ do-  
 ctrinæ, liberatio miserorum homi-  
 num ex crassis erroribus, idolatricis  
 cultibus & superstitionibus: à Domi-  
 no Servatore referatur: non est dubi-  
 um, quin hæc vota Christiani pectoris  
 sint maximè propria, DEO gratif-  
 sima: verisque ideo suspirijs & gemiti-  
 bus assiduè repetenda: ut nimirum An-  
 tichristi tyrannidem aboleri, Christi  
 regnum indies feliciter ulterius profer-  
 ri videamus. Quod superest, DO-  
 MINO nostro IESU CHRIS-  
 TO Tuam Illustrissime Princeps, Cell:  
 Vestram Reverendi Proceres M A G.  
 Cum omnibus perverusti Episcopatus  
 HALBERSTADENSIS Ordi-  
 nibus ac Membris, Amplissimis No-  
 bilissimis, SAPIENTISSIMIS  
 que Consiliarijs, Ecclesiæ & Reip.  
 Gubernatoribus: publicis & Concor-  
 dibus iam Evangelicæ sinceræque do-  
 ctrinæ Patronis & Confessoribus,  
 ad felicitatem perpetuam & semp-  
 ternam, supplicibus votis commendo:  
 meam

P R A E F A T I O.

meamque hanc interpellationem quæ  
præter cæteras causas iustissimas, et  
tiam necessarium & debitum pro be-  
neficijs Ducalibus, in me meosq; colla-  
tis, gratitudinis officium complectitur,  
elementer & benignè accipi peto. Ha-  
læ Saxonum 1592. Ferijs D. Io-  
hannis Baptistæ,


V. C. & R. M.

submissè reveren-  
terque colens

IOHANNES OLEARIVS,  
S. S. Theolog. D.

I. ORATIO

ORATIO  
DE PAPATV  
FVGIENDO ET AV-  
gustana Confessione  
retinenda.

 QVOD PROMISSVM  
Augustanae Confessionis &  
Epitomes Henoticae propo-  
nendae explanandaeq; labo-  
rem; Auditores ornatissimi, diutius  
quam vellem, distuli: cum non vnus ge-  
neris causas habeat: alterum obliuione  
voluntaria conterere, quam verbosius  
exponere malo: alterum ex Catechisti-  
carum Concionum quotidianis pene la-  
boribus, qui superioribus quatuor septi-  
manis ordinatim officij ratione mihi in-  
cubere: nec operas alias pariter ad-  
mittere potuerunt, vos aestimare posse  
confido. Defunctus igitur nunc per  
Dei gratiam & Ecclesiasticis illis occu-  
pationibus: & prioribus difficultati-  
bus: Scholasticas demum operas, prima  
quaes occasione redintegrandas putavi:

vt quod in Monte Domini sonuit, in col-  
 libus similiter resonet: quod ouibus pa-  
 buli spiritualis subministratum est: id  
 agni etiam ruminare, non tantum præ-  
 ceptorum suorum assiduo, sed etiam  
 nostro quodam Ministerio, licet inter-  
 ciso, possint. Nec gratior aut suauior  
 hymnus auribus diuinæ maiestatis inso-  
 nare, nec fructuosior humano generi  
 Musica decantari potest. quam si veri-  
 tatem saluificam de cœlo patefactam,  
 publice resonemus, lateq; in animos ho-  
 minum disseminemus: si fundamenta  
 religionis incorruptæ discantibus mon-  
 stremus: & aduersus præstigias fanati-  
 corum muniamus. Præclarè D. Basilius  
 in eam sententiâ lib. de spiritu S. cap. 23.  
 ἐγὼ οὐδὲ ἄλλο τι τὴν δόξαν θεῶν τίθειμαι, ἢ τῶν  
 προσόντων αὐτῶν θαυμάτων τὴν ἐξαριθμησίαν.  
 ὥστε πάντως ἢ τῶν θαυμάτων δὲξοῦσθε, τῆς με-  
 γιστῆς δόξολογίας ὅτι πλήρωσις. Hoc est,  
 Ego nihil aliud Dei laudem & gloriam  
 esse duco, quam mirabilium eius attri-  
 butorum enumerationem: itaq; maximæ  
 celebrationis & glorificationis DEI  
 complementum est, enarrare quæ Do-  
 minus de se testatur, & operatur miran-  
 da.

da. Quare sacrificium quoq; Eucha-  
 risticum meritò censendum est hoc  
 nostrum, quod in sacrarum rerum me-  
 ditatione ponemus, studium. Mihi vel  
 hoc nomine quoq; gratissimum id erit  
 & suauissimum: quod cum septimus  
 annus vocationis & accersitionis mei  
 in hanc celebrem Ecclesiam Halensem  
 Catechisticis in templo concionibus ve-  
 luti sit inchoatus & sanctificatus (quem-  
 admodum Sabbatarios annos peculia-  
 riter veteris Testamenti sanctio Diuina  
 decorabat) deinceps etiam aliqua me-  
 morabili opera Scholam hanc illustrem  
 vel frequentare, vel honestare possim.  
 In eam quoq; partem, quæ inciderunt  
 præter spem impedimenta, læti ominis  
 nonnihil habere lubens auguror. Nam  
 ut Clemens Alex. lib. 7. Strom. ait,  
 παντὶ καλῶ μῶμος ἔπιτεταί. Momus comita-  
 tur omne quod honestum est.

Priusquam vero dicam ea, quæ in  
 huius instituti vestibulo, vel commone-  
 faciendi vel excitandi vestri gratia puta-  
 ui dicenda: cum pietatis lex jubeat à pijs  
 votis auspiciari: ijsq; prætermisissis nul-  
 lum ritè fundetur exordium: quemad-

modum præclare dictum à Severino  
 Boëtio, Romanorum omnium doctissi-  
 mo, In omnium rerum initio, inuocan-  
 dus est omnium rerum Pater: quo præ-  
 termisso, nullū rite fundatur exordium.  
 Cui consentit & illud peruetus *ἄρχημ*  
*ἀπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν* Rectè factu-  
 rus mihi videor, si velut vno fasce publi-  
 cas & priuatas omnium statuum neces-  
 sitates complectar: quod in more insti-  
 tutoq; præcorum in Persia Magorum  
 fuisse positum, testatur Herodotus, haud  
 dubie à S. Patribus, & in primis ex disci-  
 plina Prophetæ Danielis acceptum: qui  
 Cap. 9. totius gentis suæ calamitatem  
 priuato dolori coniunctam, ardentissi-  
 ma prece leuandam & mitigan-  
 dam, supremo numini, propter Mel-  
 chisedechi promissum, verâ fiducia com-  
 mendat. Sicut & Dominus Seruator,  
 nostras & totius omnium ordinum fra-  
 ternitatis ærumnas & necessitates offer-  
 re Patri cælesti præcipit: Quamobrem  
 oro primum & obtestor æternum Pa-  
 trem Domini ac Redemptoris nostri Iesu  
 Christi Immanuelis: cum annis supe-  
 rioribus: magnitudine peccatorum  
 nostro

nostrorum ita merente, satis duriter, partim lue pernicioſa, partim aquarum eluuiionibus, partim agrorum ſterilitate, reiſq; cibariæ difficultate, partim magnatum & Procerum mortibus, alijsq; incommodis nos affligerit: bellis autem & rumoribus bellorum non obſcurè grauiora jam pridem minatus ſit: ut hic inclytæ Patriæ & Eccleſiæ, cunctisq; ac ſingulis eius membris, ſummis, medijs, infimis ineuntem hunc nouum annum velit eſſe fauſtum, felicem, proſperum, tranquillum, ac ſalutarem. Illuſtriſſimum in primis & Clementiſſimum noſtrum Principem & Patriæ Parentem, Dominum IOACHIMVM FRIDERICVM cum inclyta thoriſocia, generoſiſſimæq; indolis liberis, ſaluum & incolumem quam diutiſſimè conſeruet, ab omnibus corporis animæq; malis cuſtodiat, cœleſti benedictione omnigena cumulatiorem indies reddat: ſuoq; ſpiritu gubernet.

Ampliſſimos etiam Dn. Conſiliarios omnesq; ſtatus ſeu ordines Archiepiſcopatus Mageburgici, cum prudentiſſimo huius vrbis Senatu, regat, illu-

A 3

minet,

minet, tueatur & protegat, ut oculus videat atq; auris audiat. Religio, pietas, & veritas sincera: pax & tranquillitas alma, omnisq; virtutis & honestatis decora floreat, vigeant, amentur, colaudentur: contra verò, flagitia & scandala: veritatem, justitiam, & pacem labefactantes furia, prohibeantur. Ut Canticum Moſis atq; Agni, ſpiritualibus citharis in omnibus & ſingulis vitæ generibus ore, corde, opere poſſimus aſſiduè reſonare. Inprimis autem in templorum & Scholarum Cathedris incorruptam veritatem juventuti & cuius ætati, voce concordi proponere.

Quod autem ipſe veſtris adiutus precibus ad Dei gloriam, & excitandam generoſæ juventutis piam diligentiam docendi laboribus in hoc celebri Gymnaſio, more atq; inſtituto piorum & orthodoxorum Antecellorum, D. D. Juſti Ionæ, & Dn. Sebatt. Boetij denuò vere ineunte ſubire, & per Dei gratiam præſtare decreui: id publice & priuatim felix, fauſtum, & ſalutare ſemper eſſe jubeat: Dehoneſtamenta rerum optimarum, calumnias, & cæteras labeſ

utilium



utilium laborum, clementer auertat ac prohibeat: Per Iesum Christum unigenam Filium suum, Dominum & Redemptorem nostrum unicum, AMEN.

Quamuis autem multa sint de quibus in vestibulo laboris huius recte discentes commoneheri posse iudico: Tamen nunc potissimum causas illas explicare vitium est, quibus adducti Maiores & Antecessores nostri, Principes & Theologi, Confessionem hanc Augustæ publicatam, putauerint non modo recipiendam, sed & constanter postea retinendam, & aduersus omnes calumnias, corruptelas, ac errores Pontificiorum aliorumque sectariorum, ceu præclarum depositum, fortiter tuendam. Audietis hoc proculdubio tanto libentius: quo certius, proh dolor, constat: multos passim nomen huius doctrinæ linguâ jactare: nec tamen titulos saltem inter nos & Papistas controuersos recitare: nedum fundamenta suæ sententiæ monstrare posse. Atque utinam tales in numero discipulorum duntaxat reperirentur: non etiam in cœtu docentium.

Quænam ergo tam graues tanti

Schismatis fuerunt causæ? tanti, inquam, Schismatis, quo & Archimystæ, & Septemviri, & reliqui Proceres totius Imperij Romani primum infestis cartis & libellis: deinde feralibus odijs & bellis inter sese concurrerunt? verissime dixit Dionysius Ep. Alexand. apud Eusebium, *ὅτι ἀδοξότεραν ὑπὲρ τῶ μὴ χίσσαι ἢ ὑπὲρ τῶ μὴ εἰδωλολατρῆσαι μαρτυρίαν*, id est, Non esse ignobilius, aut minus laudabile martyrium, pro vitando schismate, quam pro non committendo idolatriæ crimine. Quare cum vita pijs etiam pro vnitatem potius sit paciscenda, quam distractionibus non necessarijs Ecclesia turbanda: rimemur tanti motus, tantæ mutationis, quæ multos in vitæ fortunarumq; omnium discrimen adduxit, causas.

Rimemur autem, non coniecturis inanibus & fallacibus: Sed ex ipsis pugnantium religionum fundamentis & dogmatis: ex publicis scriptis & Actis, illorum opera & voluntate diuulgatis, quos Hyperaspistas Fidei Christus tunc orbi largitus est, quos vt Patres & Præceptores in Christo iure veneramus.

Enim

Enim verò non ideo nunc August.  
Confessionem amplectimur, aut reti-  
nendam judicamus, quia maiores & an-  
tecessores nostri totos jam 50. aut 60.  
annos ita senserunt. Vetustas enim si  
sufficeret ad commendandam religio-  
nem quamlibet: eodem argumento Iu-  
dæi, Mahometani, Ethnici, Pontificij,  
*πατρων παρὰ δόξα* illud Pelagus errorum &  
furorum suorum consecrare ac defende-  
re possent: quorum alij plura, alij pau-  
ciora: singuli tamen aliquot secula suis  
præscriberent imposturis: cum nostræ  
necdam unius sæculi Præscriptio con-  
stet.

Neq; etiam Novitas aut curiositas  
Patrocinium hic causæ velut justæ pote-  
rit suppeditare: perinde ac si juxta illud  
Ciceronis, omnia nova sint expolita  
magis & exculta. Hac enim velut he-  
dera semel suspensa, quilibet error fana-  
ticus, dum modo novus, vendibilis red-  
di, & plausibiliter Ecclesijs obtrudi pos-  
sit. Quemadmodum Stoici & Epicurei  
quidam, & alij Athenienses nulli vaca-  
bant alij rei, nisi ad dicens aut audien-  
dum aliquid novi. ideoq; doctrinam S.  
Pauli

Pauli curiositatis vitio duntaxat & nouitatis studio cognoscere volebant Act. 17. Et illa quidem φιλοκαίνια ἡρώ & ψυχοβία plurimas omnib<sup>9</sup> temporib<sup>9</sup> hæreses excitauit: ad quam accedens pertinacia in semel susceptis thesib<sup>9</sup> obstinatè tuèdis, plurimos circa fidem naufragium facere coëgit. vt Philip. 1. testatur Apostolus, quod nonnulli per inuidiam & contentionem, non autè sincera veritate Christum prædicent. Verum nos de talibus causis nunc dicere aggredi sumus: non quæ concurrere nonnunquã & solent & possunt: sed quæ pectora nostra munire debent, vt ad Christi tribunal in illo die læti cõparère ac secessionis nostræ causam reddere: Deinde verò in hac etiam vita, conscientiam pacatam & tranquillam habere, variasq; tentationes, quib<sup>9</sup> mentes fidelium interdum grauissimè percelli necesse est, armis verbi Diuini superare: & cuius exigenti rationem facti nostri, è scripturis probare valeamus. Triste scandalum est omnino, Pontificem Romanum in Tridentina Synodo Anno 1564. velut ordinaria sede Apostolica sedentem, a 55. patribus Purpuratis & Mitratis stipatum, (inter quos numerantur Cardina-

les duo: Legati quatuor, Patriarchæ tres,  
 Archiepiscopi 25. Episcopi 168. Abbates  
 7. Procuratores absentiu 39. Generales  
 ordinum, septem) contra nos miseros, tot  
 Anathematum fulminib<sup>9</sup> detonare. An  
 tam multi proceres, religionum Antisti-  
 tes & Archiflamines intulati, Perfico lu-  
 xu pleriq; in diuersis regnis & orbis ter-  
 rarum partibus conspicui: qui nobiscum  
 eadē venerantur Propheticas & Apo-  
 stolicas scripturas: an tam multi possent  
 in tot seculorum inueterata credendi &  
 agendi consuetudine ab errare? nos verò  
 respectu illorū, paucissimi, neq; ingenijs,  
 neq; doctrina, neq; opibus florentiores,  
 sed longe potius inferiores, soli veritatē  
 perspicere? Quantæ cōfidentia, quantæ  
 temeritatis, imò stoliditatis est, tantam  
 erroris insimulare, nedum condemnare  
 multitudinem? Exaggerari solent hæc à  
 Sophistis pontificijs in immensum. Et  
 quidē ex Assyriorū, Indorū, Aethiopū,  
 & Antipodum regionibus extremis, ad-  
 uersum nostram confessionem colligun-  
 tur iuffragia. Sed opponimus istis cla-  
 moribus primò vocem illam de cœlo so-  
 nantem, & ad vnicum Religionis & fidei  
 lance.

*Andr.  
 Fab.  
 Leod.  
 Praef.  
 Catecho.  
 Rom.*

sinceræ magistrum, autorem, & consummatorem Iesum Christum omnes homines obligantem: de qua pro concione nuper audiuius, Hic est filius meus dilectus: Hunc audite. Quæ vox non erroris vetustatem, sed Euangelij veritatem: non consuetudinem, sed spiritualis Messiaæ sceptri rectitudinem: non errantium multitudinem, sed gregis Christi paruitatem potius intueri & lectari, ceu vitæ ducem, jubet. Et illa quidem vox prioris tabulæ Decalogi summâ de proprio cultu Numinis tam interiore quam exteriori complectitur. Quod videlicet nec idolis siue dijs alienis nos polluere, nec inuanum Dei nomen assumere, nec Sabbatum profanare, sed custodienda puritate Doctrinæ, omnibusq; pietatis officijs ad Ministerij propagationem pertinentibus, sanctificare debemus.

Hoc Dei mandatum toties repetitum, omnibus hominum autoritatibus est anteponendum. Dicit enim idem qui Legislatur est, quod Executor etiam futurus sit, aduersus eos qui prophetam hunc omnium Prophetarum

Domi-

Dominum, audire noluerunt. Hæc enim extant Deut. 18. verba, Si quis audire verba eius (Messiæ) contemserit, ego ultor existam. Vt igitur cælo tonante desinunt coaxare Kanæ; ac emoriuntur subito retrogradi nepæ. Sic nemo mortalium aduersus perspicuam Dei voluntatem cælitus in verbo patefactam, hiscere debebat: Sed humiliter parere illi, qui nihil addendum, nihil detrahendum suis in Religione decretis præcepit: qui Traditiones & doctrinas hominum Esa. 29. Matth. 15. tanquam superuacanas & impias damnauit. Dei mandatum, quo iubemur idola fugere, Pseudopphetas vitare, corruptelas Euangelicæ veritatis detestari, si quem in rebus ad animæ salutem pertinentibus non mouet: eum nec omnia causarum genera mouere vel impellere poterunt. Quod æterna Maiestas illa mandat: id pijs faciendum, quod vetat, id omittendum: non modo cum applaudit quilibet: sed & cum aduersantur vniuersi. cum vitæ ac fortunarum intentatur pericula. Quemcunq; enim Christi & verborum eius puduerit: quisq;

quisquis Euangelicam veritatem ingenua confessione mundo publicandam abnegauerit: eum repudiabit filius Dei, damnabitq; in illo tremendo iudicio, tanquam hominē ἀθεόν, qui Deum ipsum abnegauerit. Non enim illi Deum habent, sed sine Deo viuunt in mundo, qui transgrediuntur & non manent in doctrina Christi, vt 2. Ioh. 1. Eph. 2. docetur. Si quis adiecerit ad ea quæ scripta sunt in libro Domini: imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto; si quis autē abtulerit aliquid ex verbis illis, auferet Deus partem eius e libro vitæ: sicuti memorabilis illa noui Testamenti in extrema Apocalypsi clausula minatur, adiurat, obtestatur. Si quis Angelus de cœlo istis contradicere, si à verbo Dei viuentis ad hominum placita deducere nos vellet: Anathemate feriendus, hoc est, execrandus esset: vt Paulus non modo Galatis illis priscis, nostrorum maiorum, hoc est, Germanorum fratribus, ἡμογλώττοις, maioribus, consanguineis (Testibus D. Hieronymo & Auentino) sed etiam omnium temporum & locorum nationibus præcipit. Talibus oraculis



culis animati S. Apostoli, Martyres, Episcopi, & fideles auditores, audacter hominum erroribus & fanaticis opinionibus contradixerunt: Scientes Deo magis obediendum quam hominibus.

Quid autem contra primas Decalogi leges exegit Romanus Pontifex, dicet quispiam? quo deterriti & repulsi, à catholico consensu Italorum, Gallorū, Hispanorum, Indorum, Græcorum, Germanorum complurium, vos Lutherani secessionem fecistis? An propter minuta quædam & paucula errata? an propter anicularum deliramenta, quæ statuis, imaginibus, cereis, aspersiunculis, & geniculationibus delectantur: à nemine autem cordato probantur, tantæ fuissent turbæ dandæ? tam multæ ad omnis generis misérias & nequitiam fenestræ patefaciendæ? Quæ nam fuit viquā (inquiunt) Politia vel Ecclesia, sine magnis oneribus, erratis, & ineptijs? Annon in vestris Ecclesijs, quas reformatas nominatis, multæ sunt Antilogiæ, rixæ, distractiones, deformitates? quid  
 EXCO-

excolatis culicem & deglutitis camelum? pueriles affanias exagitatis: interim funestas distractiones, quibus nihil non mali inest, concitatis?

Respondemus autem ad eiusmodi schemata politica, & portentiloquia *σκινδαλμοφρασῶν ἀπιυτάτης σοφίας*. Ingens esse discrimen inter Næuos seu infirmitates, & Idololatricos errores: qui pertinaciter, furenter, & crudeliter, tot jam annos defensantur & propagantur. Ostendemus hac oratione non paucos, sed plurimos; non leues, sed grauissimos, adeoq; prorsus intolerabiles Pontificiorum errores: neq; tantum anicularum ineptias: sed præcipuorum inter ipsos Theologorum blasphemias & idolomanias esse: quas ense, rota, exilio, funibus, igne, propagari volunt: & nostros potius mactari, quàm in illis vel tantillum immutari cupiunt: cum tamen ipsa fundamenta religionis Christianæ istis imposturis labefactentur: & pro vero Deo nobis idola colenda: pro cælo, ignis purgatorius aut internus expectandus: pro indubitata salutis fiducia: perpetuæ dubitationis & anxie fluctuantis

hæsi

hæſitantiaæ miſeria diſcenda & expeten-  
 da proponantur. Particulatim iſta de-  
 ducamus, quæ ſummatim complexi ſu-  
 mus: & quidem ad rudiorum captum,  
 ordine partium Catechiſmi puerilis pro-  
 grediamur. Primum doctrinaæ ſinceraæ  
 corruptelas intolerabiles contra Deca-  
 logum, Legis ſummarium: Deinde con-  
 tra Symbolum Apoſtolicum. Tertio  
 contra veram dei inuocationem. IIII.  
 contra S. Baptiſmatis myſterium. V.  
 contra S. Synaxin. VI. contra Abſolu-  
 tionis inſtitutionem. VII. contra Oeco-  
 nomicã tabulam pugnantes errores &  
 blaſphemias pontificiorũ examinemus.  
 Et quidem articulos Auguſtanaæ Con-  
 feſſionis, qui ſunt numero viginti octo,  
 coniungam<sup>9</sup>, uſitataq; Catecheſios mē-  
 bris paſſim intexamus. Antitheses au-  
 tem falſorum dogmatum, ex Tridentinaæ  
 Synodi, & Catechiſmi Romani, Caniſi-  
 ani & Gropperiani placitis petamus.

QVAM itaq; nobis regulam, quẽ  
 Canonem præſcribis Romane pontifex  
 vt ſalutiferam veritatem ſequamur, &  
 vanam religionem declineimus? An  
 non hæc tua verba ſunt quæ Canoni-  
 bus

bus Concilij nuperrimi non tam inserta quam basis instar & fundamenti, substrata sunt? Annon 1546. anno, die Feb. 4. prolatum fuit istud Plephisma, velut Canon vniuersæ fraudis & impietatis tuæ, Quod pari pietatis affectu ac reuerentia suscipere ac venerari debeamus Traditiones non scriptas, continua successione in Ecclesia conseruatas, cum ea veritate, quæ scripta extat in libris Prophetis? An non Canisius Esauita, ceteriq; Catechistæ tui definiunt illum esse Catholicum Christianum, qui credat omne quod Ecclesia Romana credit, siue sit vsquam in Biblijs scriptum, siue nusquam? Atqui non potest obscurum esse, quod sub vocabulo Traditionum Apostolicarum, velut sub Orci galea delitescens, vniuersam illam Camarinam idolatricæ vanitatis & superstitionis defendere, fucare, pingere, & velut in reprobum sensum traditus, in eandem impiarum Traditionum voraginem innumerabiles tecum populos pertrahere: totamq; salutis doctrinam prodehere cupias, & harum molitionum vbiq; latagas. Quidquid enim contra legis & Euang

Euangelij sententiam impiè commen-  
tus es. id omne mox sacrosanctum ha-  
betur & Canonizatur Apostolicarum  
Traditionum specioso titulo. Patrum  
exempla, Patrum statuta: tot seculo-  
rum placita: Monachorum somnia, cō-  
suetudinis auitæ deliria, pluris à te fiunt,  
quàm sancti Spiritus oracula. Quid  
autem Deus opt. max. ad illa vestra tum  
ad fidem tum ad mores pertinentia suc-  
cedanea? Quod ego præcipio tibi, in-  
quit, hoc tantum facies, non addes, non  
detrahas: nec ad dextram, nec ad fini-  
stram deflectes: vt seruariè possis man-  
data mea. Ipse Dn. & Seruator noster  
Christus non tantum illud vet. Testa-  
menti oraculum in Nouo repetiuit, ju-  
bens Apostolos ea docere, & homini-  
bus seruanda proponere, quæ I P S E  
præcepisset: verum etiam damnans ho-  
minum in rebus fidei commenta: dam-  
nans cultus, extra Dei verbum institū-  
tos, vt frustraneos & perniciosos, Fru-  
stra colunt me, inquit, mandatis homi-  
num Matth. 15.

Quod si nugas vestras ita subiunge-  
retis scripto Dei verbo: vt illud saluum

relinqueretis & intemeratum: tolerā-  
 biles videri, & adiaphoris annumerari  
 fortè possent. Verum eiusmodi nostris  
 cervicibus traditiones imponitis, qui-  
 bus obtemperare si vellemus: Vnici  
 Pastoris & magistri Christi vocem re-  
 pudicare cogeremur. Quanti vero res  
 hæc sit periculi, cælestem Aquilam Io-  
 hannem audiamus epistola secunda his  
 verbis fulminantem: Attendite vobis  
 ipsis, ne perdamus quæ operati sumus,  
 sed vt mercedem plenam recipiamus:  
 Quisquis transgreditur, nec manet in  
 doctrina Christi, Deum non habet: qui  
 manet in doctrina Christi, hic & patrem  
 & filium habet. Si quis venit ad vos, &  
 hanc doctrinam non adfert, ne recipia-  
 tis eum domum, nec aue ei dixeritis: qui  
 enim dicit illi Aue, communicat operi-  
 bus eius malis. Quibus vero diris & ex-  
 ecrationib<sup>9</sup> detonat idem in idolatras:  
 & in omnes qui amant ac operantur  
 mendacium: qui vel detrahere vel affin-  
 gere diuinis litteris quippiam aude-  
 bunt? Nota sunt omnibus pathetica  
 verba, quibus in extrema vtitur Apoca-  
 lypsi. Contestor cuius, inquit, audi-  
 entis

enti verba Prophetiæ libri huius, si quis adiecerit ad hæc, adijciet ei Deus plagas scriptas in libro isto: si quis abstulerit aliquid ex verbis libri huius: auferet Deus partem eius è libro vitæ, & ex vrbe sancta, & ex ijs quæ scripta sunt in libro isto. An non hæc in Epilogo veluti totius codicis Biblici, tanto spiritus feruore scripta: toties hinc inde sparsim repetita, declarata, firmata, inculcata sunt: vt etiam si Angelus è cælo nobis aliud Euangelion prædicaret, vel etiã ipsimet Apostoli: Anathemate, vel suo ipsorum iussu, sint percellendi? an non satis ista munient hanc Arcem fidei, Quod, videlicet, de Dei essentia & voluntate, deq; rebus ad salutem consequendam necessarijs, aliter haud quaquam sit docendum & credendum: quam ipse Deus perspicuo verbo se patefecit?

At tu Fili iniquitatis, Apollyon, Apostasiæ magister: à certitudine S. litterarum, ad fallaces & inanes consuetudines (statim in ipso limine Conciliabuli tui impingens) nos audebis remittere? Quantò satius, quantò præstabilius hinc tutelam Canonum tuorum at-

tenderes: & ex Rhapsodo Gratiano, Dist. 8. S. Cyprianum, & Augustinū allegante dilceres, non dictum esse à Christo, Ego sum cōuetudo, sed, Ego sum veritas: Itē, Quælibet consuetudo, quantumuis vetusta, quātumuis vulgata; Veritati omninō est postponenda: & vsus qui veritati est contrarius, est abolendus. Nam qui contra veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus: quibus veritas reuelatur. aut circa Deū ingratus est: inspiratione cuius Ecclesia instruitur. Reuelatione igitur facta veritatis: cedat error & cōuetudo veritati, quia & Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo, veritatem prædicanti. Item, Consuetudo sine veritate, vetustas est erroris. Post reuelationē veritatis factā, qui in eo quod errauerat, perseuerat prudēs & sciens: iam non in venia ignorantia peccat: præsumptione enim & obstinatione quadā nititur, cū ratione superetur. Item, Si solus Christus audiendus est, nō debem⁹ attēdere quid aliquis ante nos faciendum putarit: sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. neq; enim hominis consuetudinē sequi oportet, sed De veritatem, cum per Esaiam Prophe-



eam loquamur Deus & dicat, Sine causa colunt me mandata & doctrinas hominum docentes.

Quid quæso validi<sup>o</sup> adferri posset ad obstruendâ scaturiginem omnium blasphemiarum & superstitionum, quas furenter Romanistæ defendunt? quàm quod hi venerandæ antiquitatis Patres adeò fortiter pro nobis contra Balenam illâ Antichristianam fulminant? quod principia Theologicæ facultatis tam cõstanter afferunt? quod ad cælestem veritatẽ, non ad terrenam traditionum vanitatẽ nos alligant?

Sed exempla videamus errorum & furorum, quos purpurissimo vestrarum *δευτερωστων* Pharisaicarum pingere soletis & audetis. Primum præceptum & secundum jubet in solum Deum verum, spem & fiduciam uniuersam collocare. Dominum Deum cœli terræq; opificem inuocare: nõ aliena numina venerari: sicut & ipsa verba legis, & explicatio Deut. 6. Matth. 4. repetita docent. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli serues. Hæc Christi vox est, qua Diabolum ipsum in fugam conuertit. At Papa Romanus Beatos cœlites longa serie nobis obtrudit vera fiducia meritorum suorum,

vera adoratione & veneratione colendos. Recusantes hanc Idolatriam & Necrolatriam, anathematis fulmine percellendos putat. Sic enim habet Formula juramenti Bullata: quam Pius 4. Anno 1564. Idib. Mens. Nouemb. Cōciliabuli Tridentini decretis annexuit: (ad quam omnes in papatu promouendos Doctores & Professores vult obstrictos esse) Num. 9. Similiter & factos vna cū Christo regnantes venerandos & inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorū reliquias esse venerandas, affirmo. Hactenus Bulla P P. Rectè autem Epiphanius contra Collyridianos Mariæ cultores, Doctrinis Dæmoniorum annumerat cultum mortuorum: ex eo textu qui tunc ita fuit integer lectus, postea proculdubio mutilatus, prioris ad Timoth. 4.

2. Neq; tantum spiritali cultu sanctos in cælis degentes, prosequendos: sed statuas etiam, & imagines Christi, Mariæ, aliorumq; sanctorum, retinendas: ijsq; honorem ac venerationem deberi contendit. Si quæras, vbi hoc scriptum & mandatum extet? an vllius

Pro

Proph. Apostoli, in vet. aut Nouo Test. exemplum habeat? Mox Apostolica fuerit traditio: laudata maiorum constitutio: fidei Catholicæ religio: sine qua nemo saluus esse possit. Ita Diuinis præceptis contraria præcepta fingit Romanus Harmosta. Deosq; nobis alienos audacter & impudenter contra primum Præceptum obtrudit.

Deus etiam hosti impio Nebuchadnezzari fidem seruare iubet Regem Sedechiam. Papa docet sua dispensatione licitam esse fidei jurisq; jurandi violationem, imò fidem hæreticis non esse seruandam: eaq; blasphema doctrina An. 1444. multa millia Christianorū in Vngaria perdidit: Religionem nostram Turcis blasphemandam præbuit: Iohannem Hussum cremauit: plurimaq; alia scelera patrare Impp. Reges, Principes, populos plurimos docuit.

3. Sabbatum Deus puritate doctrinæ & cultuum sanctificari: Papa idolatricis Misis, inuocatione mortuorum, & infinitis abominationibus sædari & profanari mandat.

4. Deus honorem & obedientiam parentibus

B s

rentibus

rentibus & Magistratibus debitam exigit: Papa quoties libet, Monachis eam interdicit. Subditos à juramento fidelitatis absoluit, qua regibus & Principibus obstricti sunt. Ut auper memorabile vidimus in Rege Nauareno, Principe Memorancio & Condeo: & non multo antè, in Electore Colonienfi Principe Archiepiscopo exemplum, in quorum altero Gregorius XIII. in alteris ex communicandis & auito regno exturbandis Sixtus V. bruti fulminis sui cupidem vibrare gestijt. Quid memorem Fridericum Imp. ab Alexandro P. P. pedibus conculcatum? Alpidi & Basilisco petulantè assimulatum? Quid Othones, Henricos & alios Impp. ac Reges seditiose tractatos? At ista ceu Carothomata Papalia, summorum Altarium tabulis extant depicta.

s. Cædes prohibet Dominus siue prætextu religionis, siue quouis alio fiat, nisi maleficium sit morte dignum, legibusq; diuinis & humanis plectendū: Papa multas myriadas innocentium hominū trucididas per suos satellites Imperatores, Reges,

Reges, Principes, superioribus annis curavit: nec adhuc quidem desinit per suos Ielutias, ceuturias infernales, ad arma conclamare; cunctaq; bellis, caedibus, rapinis, in Gallia, Belgio, & nuper etiam in VVestphalia fœdare, ut verè sit meretrix illa Babylonica, sanguine martyrum Christi temulenta. Quis, autem innocentum sanguine se prudens & sciens polluere, talibusq; flagitijs Communicare velit, ? cum a participatione scelerum scriptura tam grauius deterreat?

e. Adulteria, stupra, incestus, damnat vox diuinæ legis acerrime. Papa impuri cælibatus tyrannica sanctione & obtrusione justificat: & multiplicat Sodomitica illa scelera: docetq; suum hoc dogma pietati maximè consentaneum esse: cum Paulus Doctrinam Dæmoniorum appellet nuptiarum prohibitionem: cuiusq; hominum ordini, quacunq; *προφάσει* ut necessaria & religiosa seruatu, tradatur & vrgeatur.  
 1. Tim. 4.

Rapinas, expilationes, imposturas Mendacia, pecuniarum nefanda aucupia, siue religionis, siue cuiusuis alius respectu committantur, septimo, octavo, IX. X. Decalogi præceptis, leueriff. Deus condemnat. Papa verò per indulgentiarum impudentissimas nundinationes, per Annatas, per Missas, Reliquias, Episcopales stolas, seu Pallia, tanquam jure diuino sibi licitas & irreprehensibiles: denique per infinitas strophas & expilationum technas, orbem Christianum depeculatur. De quibus Centum Grauamina Germanicæ Nationis Anno 1522. Comitij Noribergicis exhibita (vt compendio consulam) prolixè vereq; conqueruntur. Scelera verò sceleribus, sacrilegia blasphemijs cumulans, suas istas artes, potestatem indulgentiarum à Christo Ecclesiæ relictam vocat: eiusq; vsum populo Christiano maximè salutarem & docet, & credi ab omnibus eruditis postulat. Sic enim Bullæ Cap. 11. in Trid. Canonum calce loquitur.

Docet propterea Decalogum non tantum seruatu possibilem, sed & facilem

lem esse in hac vita: Addit igitur Decalogo Dei, Pentalogum suum, velut supplementum legis, hoc est, alia quinque præcepta, decem illis ex Diametro contraria: vt Canisius in suo Catechismo, velut Ecclesiæ mandata illa venditat. Perinde quasi Deus sua lege nos non satis concludat sub peccatum, vt confugere cogamur ad eius misericordiam. Præceptum de dilectione Dei ex toto corde, tota anima & omnibus viribus præstanda: quæ tamen est primi mandati sententia, & omnium reliquorum medulla: nihil ad nos in hac vita pertinere: nihil etiam quod De vitanda concupiscentia Nonum & Decimum tradit, nos obligare docent Pontificij: Tantum esse metam quandam & scopum, quo collimare debeamus: ac etiam si ista non præstemus: nihilominus tamen legi per nos omnino satisfieri. An non hoc est cum Pharisæis Diuina præcepta transgredi & tollere, vt humana decreta obtrudant seruanda? Quis non videt ex his legalibus doctrinis quod à voce cælesti ad terrestrem: ab æterna ad mortalem Pontificia nos deducat Ecclesia?

Quis

Quis autem Duces cæcos sedetetur, qui non in foueam corruere, sciensq; & prudens perire velit? Vitiata legis doctrina, necesse est Euangelij corruptelas subsequi: de quibus jam ordine dicendum.

Perseptum ex his arbitror: non esse nugas & ineptias: non muliercularum duntaxat deliramenta: sed Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, adeoq; summorum Curæ Romanæ procerum falsa dogmata, blasphemiasq; , intolerabiles contra Deum & sincerum eius verbum: quas tanto furore, tanta pertinacia & crudelitate defendunt, vt omnes nos trucidare, quam sinceræ doctrinæ his portētis oppositæ, liberam Professionem nobis permittere malint. Documento sint Belgici motus & Bella plusquam viginti iam annos continuata: quibus tamen si, vt fit, versutia Diaboli turbulentos homines instigantis, interuenire quædam alia potuerunt non laudanda. Tamen Executio Tridentini Conciliabuli potissima fuit & est causa. Nihil aliud hominum tam multa millia petunt, quam vt doctrinam Augustanæ confessionis in Catechismo

techismo



techismo Lutheri breuiter comprehensam audire, discere, & ex eius præscripto vitam religiosè possint instituere. Temporibus belli Schmalcaldici complures clamitarunt, non religionis sed regionis negotium agi, ac Politici quidam, nec non Ecclesiastici nequiores, facile applaudunt eiusmodi profanis & in sanctos Martyres contumeliosis vocibus: qui vitam & sanguinem profuderunt: omnes fortunas suas pro Christi laude in discrimen extremum adduxerunt: sed verè pijs aliter multò comperum est: vt suo loco dicemus.

## II.

DE CORRUPTELIS EVANGELIJ contra Symbolum Apostolicum & reliquas Catechismi partes Euangelicas.

**V**T Prima Decalogi capita fæde violat & violare suos sectatores cogit Rom. præsul: ita primam Symboli Christiani & Apostolici vocem, à qua credentes & Fideles appellamur, adulterat negatq;. Credere quidem iubet Deum, credere Deo. sed IN Deū Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorem ita crede

credere, sicuti sacrosancta Formula præscribit: non tantum disfluadet: sed etiam sub Anathematis periculo prohibet: Fiduciam illam, qua peccator in veris conscientiaæ terroribus, & internis ob admissa delicta cruciatibus, ad Dei misericordiam in Christo propositam confugit, in eaq; velut paterna Creatoris, & fraterna Redemptoris bonitate & Philanthropia recumbit: oculos à culpa sua multiplici prorsus auertit: & ad Christi meritum preciosissimum indubitata plerophoria remissionis & Gratiaæ consequenda conuertit: Hanc, inquam, Christiani hominis propriam fidem, qua quisq; nostrum filius Dei fieri solâ potest, acerrimè tanquam hæreticam præsumtionem damnat & execratur Romana Synagoga. Sic enim rudit Papsellus Sess. 6. Can. XII. Si quis dixerit

ꝛꝛ fidem iustificantē nihil aliud esse quam  
 ꝛꝛ fiduciam diuinæ misericordiaæ peccata  
 ꝛꝛ remittentis propter Christum, vel eam  
 ꝛꝛ fiduciam solam esse qua iustificemur, A-  
 ꝛꝛ nathema sit.

Dubitationem de nostri cum Deo  
 reconciliatione: deq; gratuita miseri-  
 cordia

cordia Dei quam sibi quisq; pœnitenti-  
 am agens, speciali fide tenetur applica-  
 re : humilitatem piam interpretatur :  
 Fiduciam certam & indubiam, ceu præ-  
 sumtionem & arrogantiam impiam &  
 hæreticam execratur ista malignantium  
 Ecclesia : sicut eiusdem Sess. 6. Cap 9.  
 prolixè contendit. Negat asserendum  
 esse, oportere eos qui verè justificati  
 sunt, absq; vlla omnino dubitatione  
 apud semetipsos statuere, se esse justifi-  
 catos, neminemq; a peccatis absolui ac  
 justificari, nisi eum qui certò credat se  
 absolutum, & justificatum, &c. An au-  
 tem hoc non est, Fidem in domo fidei, vt  
 S. Cypriani verbis vtar, non habere, imò  
 crudeliter expugnare velle? Grauiissime  
 vir Dei Lutherus Com. in Gen. Cap. 41.  
 detestabilem hanc fidei labem & Apo-  
 stasiam detestatur, cum ait, fol. 72. Hor-  
 ribilis cæcitas fuit, & error omnibus  
 modis execrandus (etiã si nihil præte-  
 rea peccatum fuisset in doctrina Ponti-  
 ficum) quod docuerunt nos vagari &  
 fluctuare, ambigentes & dubios de no-  
 stra salute. Nam hæc incertitudo tollit  
 mihi meum Baptismū & gratiam : fru-

frustra sum Christianus, frustra laboro &  
 vivo. Et paulò superius, allegans di-  
 ctum 1. Theff. 1. Euangelium nostrum  
 non fuit ad vos in sermone tantum, sed  
 in virtute & in spiritu sancto, & in ple-  
 rophoria multa: subiicit, Hæc certitudo  
 necessaria est in omni genere doctrinæ,  
 præsertim sacræ. Certius enim esse de-  
 beo, quid mihi de Deo sentiendum sit,  
 vel potius quid de me ipse sentiat. Ac  
 horribilis error fuit doctrinæ Pontificæ,  
 qua hominibus autores fuerunt, vt am-  
 bigerent de Remissione peccatorum &  
 gratia. Agnosces te peccatorem esse,  
 dixerunt, & talem, qui nõ possit esse cer-  
 tus de sua salute. Sic totus mundus sub-  
 mersus fuit dubitatione & opinionibus  
 errantibus de Deo. Hæc Lutheri ver-  
 bis Emphaticis, quam meis, dicere ma-  
 lui, de abominatione illa desolationis  
 cultuum diuinorum, quam in loco san-  
 cto collocat ille, nõ Pastor, sed Impostor  
 Oecumenicus, inter Adriaticum & Tyr-  
 rhenum mare pestilenti Cathedra loca-  
 tus. Nos contra teneamus hanc Hypo-  
 typosin fidei, quoties sonamus nostrum  
 Schiboleth Apostolicum. Quod, quàm  
 certo

certò credimus opificium hoc cæli ter-  
 ræq; diuina potentia ante. 5550. pene  
 annos perfectum quam certo credim⁹,  
 semper humano generi, doctrinis & mi-  
 randis factis, inde vsq; ab exordio rerū,  
 cœleste numen se patefecisse: Deiq; fi-  
 lium λόγον seruatore[m] mortis peccato-  
 ribus, esse promissum: quàm certo cre-  
 dimus, opus illud Redemptionis, quater  
 mille propemodum annis postquam  
 promissum initiò fuerat, verè vnica vni-  
 us Mediatoris victima peractum; itaq;  
 perlitatum: quàm certo credimus, in  
 nomine S. Trinitatis nos baptizatos:  
 quàm certo credimus, nos Diuinitus  
 creatos, & in hunc mundum locatos,  
 quotidie pasci, sustentari, protegi: De-  
 umq; in cœlis esse rerum omnium præ-  
 potentem: cuius nutui parent vniuersa:  
 quàm certo credimus, omnes scelera-  
 tos, Epicuræos, ἐμπαίκτης & impœniten-  
 tes, horrendas illi justissimò Vindici tam-  
 dem pœnas daturus esse, cum in hac vita  
 tum in sempiternis inferorum ignibus.  
 Quàm certò, inquam hæc & similia tum  
 præteriti, tum futuri, tum etiam præ-  
 sentis tēporis opera Diuinæ maiestatis

C a

credi-

credimus: ac de illis vel addubitare, nefas & profanum ducimus: Tàm certò quocq; statuendum esse mihi, & tibi, & omnibus verè respicientib<sup>9</sup>, & ad thronum misericordiæ diuinæ in Christo propositæ confugientibus: veraq; fiducia sanguine ac morte Redemptoris nitentibus, quod sint nobis peccata remissa, quod porta salutis per vulnera Christi nobis sit patefacta: quod in Dei filios adoptati, hæredes Dei, cohæredes Christi, reges ac sacerdotes spirituales in cœlis adscripti simus. Hæc cum nostra sit & debeat esse *πληροφορία*: sicut ea Rom. 4. Heb. 11. describitur: & exemplis sanctæ venerandæq; Antiquitatis illustratur: meritò dicimus vicissim Anathema brutis illis Anathematismis Papalibus & Antichristianis, ipsorumq; præconibus: meritò ex illa Babylone matre scortationis & omnis immundicie & egressi sumus, & alios egredi docemus.

Quis enim Lernam illam blasphemiarum aduersus hanc salutiferam veritatem, & sapientiam populo Christiano propriam in brevis orationis synopsis

nopsi satis explicabit? Nos reliquas Catechismi partes breuiter duntaxat perstringamus: vberiore explanationem iustis voluminibus commendemus.

Vt Dubitationem contra Fiduciam docent Pontificij: de qua dictum haecenus: Sic Fiduciam vanam, impiam, idolatricam in suis meritis & auxilijs, patrocinijq; sanctorum defunctorum, contra eandem fidem pertinaciter vrgent. Recta fides Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, tres vnus Essentiae Hypostases duntaxat nouit, ijsq; fedit. Falsa ista, Mariae Virgini, Apostolis, Martyribus, partem illius Fiduciae transcribit: & suis ieiunijs, lacticijs, ciborum delectui, flagellationibus sponte susceptis, χαμευνιας, ξηροφαγιας, Monasticae disciplina duris & seueris exercitijs, aeternae beatitudinis potissimam causam meritoriam assignat. Haec verò manifestissima est à fide salutari defectio: quam 1. Tim. 4. nouissimis temporibus inualituram Spiritus S. praedixit.

Est contumelia mortis preciosissimae, Sacrificijq; vnici semel in ara crucis à Dn, Seruatore persoluti pro totius mundi

mundi peccatis: si doceas, Carthusianum, vel alium quemuis *μαστιγοφορον*, salua religione posse luendorum scelerum gratiã voluntarios suscipere cruciatibus, siue tormentis inediã, siue viribus spontaneã carnificinã, virgarumq; laniatã. Et tamen hoc non tantum à quamplurimis summã pariter atq; infimã sortis olim fuit factitatum: Sed ad hunc usq; diem acriter ab Antichristi Synagoga & defensatur & factitatur. Nec usquam vlla vel auditur, vel reperitur palinodia. Immo Cassander, Erasmus, alijq; nonnulli, locum veritati relinquentes, Hæreticorum propterea Catalogis inferuntur: & Anathematizantur.

Nota est Fulconis Andegauensium Comitis, apud Paulum AEmylium lib. 2. rerum Gallicarum descripta Historia: cui expiandi nescio cuius flagitij gratiã, se duobus famulis, alteri, fune trahendum; alteri virgis cædendum ad sepulchrum usq; Domini Hierosolymis, adiuratione præmissa, facturos se quidquid imperatum esset, tradidit: vbi ipse simul dum vapularer, exclamauit, O Domine, miserere miseri peccatoris, Fulconis,

nis,



nit, transfugæ & periuri. Ac Pœnitentiæ genus hoc magnificè prædicat AEmylius, ceu Deo gratissimum.

Notum quid huius ante 180. annos maiores nostri Magdeburgæ viderint: Anno videlicet 1449. vbi 600 circiter ex vicinis vrbibus, Brunsviga, Hildesia, Helmstadio, sese religionis, & impetrandæ cuiusdam sanctitatis, & auertendæ læuissimæ Pestis, & Turcicæ crudelitatis gratiâ, flagris eiusmodi inuicem conciderunt: indeq; Romam ad Iubilæum cursitarunt: additis simul Hymnis, in speciem religiosis; quos accinere, & ad similia nefandæ superstitionis opera plures exstimulare solebant. Quasi verò non Baalitæ similibus *ἑθελοθυσκίαιε* etiam, orthodoxo Prophætæ Eliæ se præbuerint irridendos: Quasi non Romanorum Gladiatores, & Lacedæmoniorum pueri, plagas æquè acerbis sibi inuicem infixerint. Sed Act. 4 & 16. docetur: non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo salutem nos oporteat consequi, præterquam in nomine IESV.

Atq; rectè canimus in Ecclesia ex Gal. 2. & 3. Si quid tuis meritis acquire-re poluisses: Cur Christus pro te mor-tem oppetijset? Christi passio, per quam ἀπολυτρώσις .i. perfecta redemptio facta est, vt vnigenæ Filij patris cælestis, coæterniq; & pariter omnipotentis Dei Passio, longissimè discernenda est ab omnium hominum perpeffioni-bus, siue spontaneis, siue coactis. Ac ne quidem sine blasphemiâ, propitiato-rij supplicij ratio potest vlli, præter vni-cum hunc Mediatorem, tribui.

Fugienda ergò malignantium est Ecclesia, quæ talib. Idolis etiam nos pol-luere discuperet: ne culpæ tam enor-mis affines: ne pœnæ cælitus irrogandæ fiamus participes. Recensere libêret Historiam Halberstadensis Adami, pla-nè detestabilis Idoli: cuius vel ipsum Sa-tanam pudere posset: quomodò (cum intolerabili blasphemia meriti & perso-næ Christi) vni cuiquam mendico, quot-annis tempore quadragesimali, Cano-nicorum omnium peccata (veluti quon-dam Iudæi diuino iussu in hircum illum ἀποπομπῆιον vel ἀποτροπῆιον cuius Leuit.

16. fit mentio) imponere consueuerunt:  
 Sed prolixitas turpem istius Laruæ no-  
 tam non finit pro dignitate detestari,  
 Inprimis etiam hoc obstat: quod mul-  
 torum in isto venerando Collegio: &  
 præsertim Reuerendissimi Præulis, &  
 erudita pietas, & veritatis amor, spem  
 mihi facit, aut abrogatam esse, aut breui  
 abrogandam hanc enormem & inaudi-  
 ram Idolomaniam. Ut vnicum coronis-  
 dis vice, adhuc subiiciam: Franciscano-  
 rum Pediculosus cucullus eadem fiducia  
 fuit honoratus, qua passio Christi. Sic  
 enim isti suas Leucophæas exuias mo-  
 rituris venditarunt & vendiderunt 300.  
 vel 400. interdum aureis: quasi remis-  
 sio peccatorum contingeret tali inuolu-  
 cro sepultis: id quod non modo prima-  
 rijs ciuibus, sed & Principibus, & doctis-  
 simis quibusdam viris, Baldo I C. Ro-  
 dolpho Agricolæ, Longolio, factum me-  
 morant Historiæ. Quin etiam singuli  
 ordines, suos penè Christos & Saluato-  
 res, exijs finxerunt, qui regulas ipsis Mo-  
 nasticæ suæ disciplinæ præscripserunt.  
 Nihil aliud hoc fuit quam dicere, Ecce  
 hic est Christus, ecce illic: ibi est in

C s

eremo:

cremo: istic in cellis. At istas voces  
Matth. 24. fugere jubemur, vt luporum  
& latronum speluncas.

## III.

DE ORATIONE DO-  
minica.

Normam inuocandi diuinum no-  
men, multiplici idolomania & inuoca-  
tione Elilim, hoc est, Deastrorum siue  
Deillorum auxiliarium conspurcarunt  
Pontificij: Conspurationem hanc o-  
mnis solatij subsidijq; certissimi, quod  
ex religiosis precibus habent Christia-  
ni, obtrudere nobis volunt ijdem Dog-  
matistæ. Inuocationem Mariæ, quoti-  
dianis campanarum pulsibus, reditibus,  
vlulatibus, omnibus penè oppidis &  
pagis inuexerunt. Cantus idolatricus,  
Salve Regina, Veringensis Comitum  
Hermannii Contracti operâ, vt dicitur,  
compositus: superstitionissimè passim  
in hunc vsq; diem diurno, nocturno  
boatu declamatur. Baptismatis aquam  
non aliter quam prolixo Catalogo Di-  
uorum, satis efficaciter consecrari puta-  
runt; idq; diebus illis quibus passionis  
& more

& mortis Christi, & aperti per lanceam illius lateris, vnde Sanguis ad redimendum, Aqua ad mundandum delicta nostra, (vt Aug. loquitur) profuxit. Quod tamen tempus, si vllum aliud, ab hac vanitate debuit immune seruari: Dicente Durando in Rationali diuinorū, Frustrā præsente Domino curri ad sanctorum emendicata suffragia: quemadmodum Principe vel Rege urbem ingresso, cessat inferior Magistratus.

Quod autem Varro de Dijs Rom. scripsit, alios esse certos, alios incertos: & quidem certos nihilò certiores esse incertis: idem de Pontificijs quibusdam sanctis, Christo succenturiatis, penè dicere liceat.

Nam etsi B. Virginis, Apostolorum, & aliorum præstantium Martyrum certæ sunt Historiæ: tamen negari haud potest, inuocari multos à Pontificijs, de quibus dubium est, num vnquam vixerint, aut in rerum naturâ fuerint: nedum constet eos in coelis cum Christo regnare.

Quid

Quid autem stolidius magis uè sacrilegum: quam Dominicam precationem statutz audiendam demurmurare? Colossum ligneum suppliciter, ut patrem caelestem, appellare? truncum pro Creatore venerari? O Furores Ethnicos? Et tamen Pontificij non erubescunt etiamnum illud in tam claro caelestis doctrinae Meridie defensare: Videte quid Erfurtenfis ille Canonicus D. Vitus Miletus ea de re nugetur in suo Speculo: quomodo inueteratam suorum insaniam conetur ex ritu Mendicorum, precem Dominicam puero vel ancillae recitantium: atq; ita stipem impetrantium, justificare. Nos fugiendam, non fucandam esse sciamus talem imposturam.

## IV.

## DE BAPTISMO.

Ad sacramentorum deprauationes Pontificias ut transeamus: & De Baptismo, promissionum omnium Euangelicarum sigillo primario, & Regenerationis lauacro, deinceps agamus. Baptismum Campanis Baptisandis horribiliter profanant:

Vim

Vim eius perpetuâ, Aqua lustrali quoti-  
dianis delictis eluendis substitutâ, negât:  
Litanijs, cōsecrationib<sup>9</sup> Idololatricis &  
Magicis, de quibus Durandus in Ratio-  
nali Diuinorum, alijsq; mille modis con-  
taminant: & huc tyrannicis Anathema-  
tismis omnes adigunt: venerando rege-  
nerationis & renouationis lauacro cu-  
cullum Monasticum æquiparant (vt in  
Apolog. Conf. Aug. scribitur) cuius hor-  
rendæ abominationis demonstratio-  
nem, quod nimirum non ficta, sed vsitata  
sit, in Agenda Pontificia, de velandis  
Monialibus, ipsemet nuper in inclyto  
Monasterio Bergensi, magna cum ad-  
miratione, peneq; cum stupore legi. Sic  
enim habent verba. Post tribus diebus  
pro eis Missa dicatur, & oblationem of-  
ferant, & tempore oblationis, pacis,  
communions, cuculla in Capite sit, ob  
memoriam Dominicæ sepulturæ: quia  
secundus Baptismus est, juxta quem di-  
mittuntur ijs omnia peccata, sicut in  
Baptismo. Tertia die post pacem, tollat  
capitium. Hæc isti Anabaptistæ profligatissimi: Quis capiti meo dabit aquam  
vt hanc blalphemam salutaris Baptismi  
de

de formationem pro merito deplorem?  
& fugam impietatis huius, Christi pusil-  
lis persuadeam?

V.

### DE S. COENA.

Turpissimi errores omni execra-  
tione, omni secessione dignissimi, po-  
terant recenseri de S. Synaxi.

Primus est, Mutilatio sanctissimi  
Mysterij, quam participare non Laicos  
solos, sed omnes vna communicantes,  
sacerdotes, & Clericos, & Episcopos,  
oportuit, (Teste ipsa Confutatione Au-  
gustana, nomine Imp. Caroli V. &  
Principum aliquot Imperij, nostræ Con-  
fessionis anno 1530. opposita.) Quis a-  
b ista violatione Testamenti D. Serua-  
toris non toto pectore abhorreat? cum  
hanc sine summo sacrilegio fieri non  
posse, Iuri Canonico insertum P. Gelasij  
rescriptum testetur?

Secundus est, Missæ idolum pro-  
muis & mortuis e purgatorio liberadis,  
totius Papatus & Antichristianismi Ba-  
sis & Pandora; quo Sacramentum hoc



in sacrificium: Dei munus in nostrum  
opus: sanctificatio in profanationem;  
animæ solatium, in laqueum & exitium  
est transformatum.

Tertius est, Circumgestatio panis  
Azyini, velut numen quoddam ex Pa-  
parum decretis adorandi, contra Christi  
statuta: qui non adorationis ergo cir-  
cumferri: sed Comedi & Bibi in sui me-  
moriâ hoc datum, mandauit. Taceo  
quod Opus Operatum ex fidei exercitio  
commenti sunt, teterrimo scelerum pa-  
trocinio: totiusq; Poenitentiae salutaris  
exitio. Taceo consimilia sexcenta.

## VI.

## DE ABSOLVTIONE.

Clauisq; Regni caelestis potestatem:  
(Quam verè poenitentibus vbiq; prom-  
tam & obuiam esse Christus voluit.)  
Indulgentijs, Fraternitatibus, Cur-  
sitationibus & Peregrinationib<sup>9</sup> ad loca  
sancta, Romam, Hierosolymâ, Compo-  
stellam, turpiter euacuarunt, & quantû  
in ipsis fuit, irritam reddiderunt Agyrtæ  
pontificij: peneq; totâ de vera poenitētia  
conuer-

conuersioneque peccatoris doctrinam, quæ legis & Euangelij nucleus & fructus est, nefariè deprauarunt, & innumeris erroribus contaminarunt. Contritionem sufficientem cordis, Confessionem oris, satisfactionem operis, delictorum multitudini, magnitudinique pares finxerunt, & hominibus obtruserunt, inenarrabili conscientiarum carnificina: sicut Confessionalia Monachorum, Lauacra conscientiae, similiaque furorum librorumque portenta clamant.

Sed opus Iliade longius nasceretur, si Camerinam istam mouere, plurimosque huius saltem capitis errores, quales etiam Apologia recenset Augustana, replicare vellemus. Suo itaque loco, tum fusius, tum accuratius, ista ante paucos annos disputauimus. Nunc isto modo concludimus; Qui veram ad Deum conuersionem negant & tollunt: merito sunt ut fures & latrones animarum fugiendi: Pontificia Ecclesia, eiusque magistri & membra, veram ad Deum Conuersionem, veram poenitentiam & Absolutionem negant: falsam substituunt, inculcant, vi obtrudunt: Merito igitur vitan-

vitantur: meritò pij ab illorum inquinamenti & sordibus voluntariâ secessione separantur: ne peccatis alienis communicent: neu semet ijs inquinent, vt loquitur Apocalypsis & 2. Cor. 5. D. Paulus.

## VII.

## DE TABVLA OECONOMIA.

Postremò tres Hierarchias, diuinius institutas qui & prophanat, & carnales pronunciat, & Deo placere posse negat: meritò vitandus ceu Abominatio deiolationis. At Papa cum suis Caeolycis, Oeconomicam vitam, Ecclesiasticæ, Politicæ, priuatæ, columen, & profanat, & Carnalem pronunciat, & Deo placere posse negat: Dum coniuges in carne viuere, Deoq; propterea placere non posse, impuris Canonibus disputat.

Septem Sacramentis nihilominus, quasi per ludibrium, aut sui oblitus, maris & fæminæ coniunctionem annumerat. Matrimonium titulo tenus sanctificat, reuera damnat. Ista enim Pompificis Siricij vox est, in Decretis Canonizata, Quod ex Paulino dicto, Qui in

D. carne

carne viuit Deo placere non potest) Ma-  
ritos Presbyteros in carne viuere aslu-  
mit. Ideoq; illos Deo placere non pos-  
se concludit. Quis blasphemiam hanc  
ordinationis divinæ in totam veteris &  
No: Test. Ecclesiam, cuius potissima  
semper pars pij coniuges, Patriarchæ,  
Reges, Prophetæ, Apostoli, fuere, con-  
tumeliosam non detestetur? non remis-  
velisq; statuatur fugiendam?

## VIII.

## DE ANTICHRISTO.

Antichristi vitandi necessitas  
passim in S. literis inculcatur, Matth.  
24. 2. Thes. 2. 1. Tim. 4. Apoc. 18. Ce-  
cidit cecidit Babylon mater fornicatio-  
nis. Exite de illa, popule mi, ne parti ci-  
pes sitis delictorum eius, & de plagis ei-  
us non accipiatis. Nec enim ulla con-  
ciliatio potest esse Christo & Belial, iusti-  
tiæ & iniustitiæ, luci ac tenebris. Egre-  
di itaq; iubemur ab eiusmodi corrup-  
toribus sanæ doctrinæ, ne tangamus im-  
mundam istam scelerum illuuiem. Ac  
promittit Deus, id si fecerimus, ipsum in  
nobis inhabitaturum, & inambulatu-  
rum, & fore nobis Deum & patrem, nos-  
q; ipsius filios & filias 2. Cor. 6. lam

Iam autem manifestè demonstra-  
 tum est Orbi terrarum, reiectis veterum  
 quorundā perplexis, alystatis & dubijs  
 glossis, & Monachorum somnijs, de quo  
 dam Antichristo fictitio, ex tribu Dan  
 orituro, & inter Chaldaeos Babylone reg-  
 naturo. Demonstratum, inquam, est ne-  
 minem nisi papam Romanum, eiusq;  
 regnum Cardinalitium, Episcopale, &  
 Monasticum, esse verum illum, à Prophe-  
 tis, Apostolis, & ipso Christo prædictum  
 Antichristum: & in eum quadrare no-  
 tas omnes ad vnguē quas Scriptura illi  
 tribuit, characteristics & *γνωριστικὰς*: de  
 quib<sup>9</sup> suo tēpore *καταμύτων*, iuvante supre-  
 mi Patris sapientia, disseremus. Magni  
 in primis interest in Politica gubernatio-  
 ne, scire quis Regni legitim<sup>9</sup> hæres, quis  
 autem impius invasor & tyrannus, velut  
 per stellionatus crimen, ad gubernacula  
 semet ingerat. Omnibus seculis passim  
 reperti sunt (Testibus Valerio Maximo  
 & Bapt. Camposulgo) qui obscuris orti  
 parentib<sup>9</sup>, per fraudem amplissimis se fa-  
 milijs inferere, regna, imperia. Principa-  
 tus, Dynastias, exclusis ijs qui verè iureq;  
 D 2

rerum

rerum potiebantur, sibi rapere contenti  
 derunt. Cum isti fraudibus & cædibus  
 armati munitiq; essent: multis exitio  
 quidem fuit ijs restitisse: multis tamen  
 saluti. Discretionem hic esse per neces-  
 sariam, omnes intelligunt: & res ipsa  
 clamat. Quanti autem res periculi sit,  
 hostem Christi, pro vicario eius: pro di-  
 torem, pro præcone veritatis: adulte-  
 rum, pro sponso Ecclesiæ; turbatorem  
 & euersorem Reip. pro gubernatore:  
 lupum pro pastore: furem & latronem,  
 pro tutore, seductorem pro viæ Duce:  
 fatuum ignem pro nautico Pharo: cæcū  
 pro speculatore venerari & celebrare:  
 pauci hac in parte considerant. Notas  
 quibus internosci tanta rerum discre-  
 pantia possit, haud attendunt. Quamob-  
 rem vt & vos, & me ipsum ad Catechi-  
 sticæ doctrinæ considerationem inuita-  
 rem (quæ non tantum est Didactica, sed  
 etiam Elenctica: neq; tantum anima-  
 bus alimenta, sed etiam aduersus fures  
 & latrones munimenta: aduersus vene-  
 natas omnium Hæreticorum præstigias,  
 amuleta seu Antipharmaca suppeditat)  
 Quæstionem propositam de Papatu fu-  
 giendo,

giendo, per notissimas Catecheseos partes deducere visum fuit: Nihil addubitans, quin vestris hoc iudicijs informandis plurimum, per Dei gratiam, possit inferuire. Nullæ siquidem certiores monstrari valebunt docendi, credendi, vel agendi. Regulæ: nulla de rebus expetendis aut fugiendis firmiora documenta præscribi: nulli sapientiores Cõsiliarij vsquam reperiri: quàm breues isti de Negotio Religionis in Decalogo, Symbolo, Prece Dominica, Sacramentorumq; sanctionibus præstituti Aphorismi. Noti quidem illi non modo lippis & tonsoribus, sed & pueris vniuersis: ac inexhaustis Sapientiæ, Prudentiæ, Discretionis religiosæ præceptis & Gnomis plenissimi: cunctorumq; ideò Prophetarum & Apostolorum concionibus, & monumentis litterarum, iterati & collustrati. Per illos ordine si vacaret incedere: simili Methodo, qua sumus adhuc vsi, deprehenderemus, Pontificis Romani Dominatum, nihil aliud esse, quàm ipsissimum Antichristi regnum, quod S. Litteræ toties præcipiunt fugiendum.

Verum ista variciniorum & Euen-

D 3 tuum,

tuum, Notarumq; Antichristi & in Scrip-  
turis propositarum, & experientia quo-  
tidiana compertarum συμπαράθεσις &  
comparatio: non minus prolixam, quàm  
nostra iam pridem fuit oratio, requireret  
Demonstrationem: Præsertim Obiecti-  
onum contrariarum & effugiorum (qui-  
bus Adversarij talem Centuram conan-  
tur eludere) si quid adicere, quemad-  
modum res ipsa flagitaret, vellemus.

At, quia tempus iam vela contrahe-  
re monet: in portumq; appellere: diffe-  
remus, quod restat, in proximam Dispu-  
tationem: qua & fundamenta, quæ ha-  
ctenus recitata sunt, brevibus compre-  
hensa thesib. repetemus: & Paralogis-  
mos Pontificiorum, quibus immane cri-  
men Hæreseos & Schismatis affingere  
nobis, & sine modo finéq; passim exag-  
gerare non erubescunt, Præsertim ex  
Gropperi & Canisij Catechilmo, ex Ed-  
mundi Campiani, Viti Miletii, Bellar-  
mini Rhapsodijs collectos, perspicue  
per DEI gratiam refellere conabi-  
mur.

Quod enim impudenter obijciunt,  
NOS



nos universam, Catholicam, omnium  
 seculorum & gentium Ecclesiam con-  
 demnare: cum Papalis Synagogæ furo-  
 res & errores quos multi omnium seculo-  
 rum Fideles execrati sunt, damnamus:  
 Quod clamitant, nos non habituros  
 Deum patrem, cum nolimus hanc Ro-  
 manam (quæ dudum meretrix facta  
 est) Ecclesiam habere matrem. Quod  
 colligit de parentali reverentia & in-  
 stitutione, Testimonia Scripturæ san-  
 ctorumq; Patrum quam plurima. Qua-  
 le illud Deutero 32. Interroga patrem  
 tuum & dicet tibi, matrem tuam &  
 annuntiabit tibi. Item illud Iud. 15.  
 Nisi arassetis vitula mea, non invenis-  
 setis propositionem meam. Quod e-  
 xempla traditionum quarundam non  
 Scriptarum corradant: Indeque du-  
 plex DEI Verbum, Scriptum & non  
 Scriptum conficere, nobisque obtru-  
 dere moluntur: Quod scandala dis-  
 tractionum & dissidiorum in nostris  
 Ecclesijs, & multitudinem fictitiarum  
 Antilogiarū è LVTHERI & aliorum  
 Scriptis excerpunt & exaggerant:

Indeq; summi Capitis vnus, nempe Pontificis (qui auctoritatem obtinet Prætoriam, aut perpetuam Dictaturam in rebus Diuinis) habendi necessitatem, concludere satagunt: Quæq; similis farinae sunt coaxationes ranarum Romulidum perennes: Hæc omnia partim ex supra dictis facile diiudicari posse confidimus: partim peculiari Disputatione nos breui persecuturos, (vbi commodius hoc etiam fieri poterit) pollicemur. Cum autem de his sæpè nobis pro Concione (Nimirum quoties de fugiendis Pseudoprophetis: de furibus & Latronibus ad perdendas & maectandas oues illegitimâ viâ in Mandras Christi irrumperibus) officij ratione sit dicendum: cum publicis vos etiam vnâ nobiscum assiduè precemini cautionibus, vt verbum suum nobis Deus seruet sincerum: Papæq; & Turcici tyranni latrocinium auertat: Non existimari debet alienum, quod in vestibulo nostrarum Prælectionum (quibus Augustanæ Confessionis explanare decreuimus Articulos) ad notissima Catechisticae doctrinae capita Quæstionē istam De Papatu fugiendo, LXX.

LXX. plus minus annos agitatam: neq; tantum eruditorum Scholis: sed etiam Impp. Regum & Principum armis, tormentis, ensibus, & flumine sanguinis humani diuexatam, reuocare, paucisq; illustrare conati sumus.

Quibus rationibus autem fugere Papatum possimus ac debeamus: quæ nam licitæ: quæ verò sint illicitæ, fanaticæ, turbulentæ, nulloq; DEI Verbo probatæ, nec hominibus salutare viæ Pontificiam tyrannidem vel detestandi vel oppugnandi: Quomodo deniq; sic agendum, ne præter calam, quod aiunt, fugiamus. sed operam imprimis demus, vt sinceram Religionis doctrinam Augustanæ Confessionis XXVIII. Articulis breuiter neruoleq; cõprehensam, Apologia eiusdem validè munitam: Catechismis, similibusq; pulcherrimis LUTHERI Scriptis Didacticis admirabiliter illustratam: Elencticis, aduersus omnigenas corruptelas & Hæreses Anabaptistarum, Iconomachorum, Cinglianorum, Seditiosorum Rusticorum, Antinomorum, Arianorum, Sabbatariorum, Libertinorum, Synergistarum

egregiè propugnata & munita, retineamus, conseruemus, ad posteritatem velut præclarum depositum transmittamus: De hoc longus, & profectò pernecessarius iam restaret sermo. Sunt enim, qui dum Papatum fugiunt: cum Cicerone, Quem fugiam, inquit, habeo: quem sequar, non habeo. Fitq; tum, quod poëta canit.

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Nos errorem ita declinemus, vt veritatem cælestem mordicus teneamus: non ex una secta in alteram, mox in tertiam, & quartam devolvamur: tandem vel omnia pariter incerta: vel quamvis Religionem æquè commodam saluti consequendæ putemus. Illud enim Academicorum & Scepticorum est, in ipsam DEI Maiestatem & Veritatem contumeliolum erroris & furoris gen<sup>o</sup>: qui propterâ suam perspicuis oraculis mundo patefecit voluntatem: vt dubitativæ Theologiæ nodos & nexus infelices, fulmine verbi sui, tanquam Tene-

diâ

dià bipenni dissecaret: certissimamq;  
fidei basim, & Petram immotam mon-  
straret: Hoc verò prorsus Ethnicum &  
Mahometanum est: vt in Epistolis Sym-  
machi illius Pagani (quem D. Am-  
brosius habuit Antagonistam) & in Al-  
corano Turcarum legimus.

Qui primum ex tenebris Synagogæ  
Babylonicæ in lucem emergunt: illo-  
rum sanè vicem, si quibusdam infirmita-  
tibus adhuc implicati hæreant, dole-  
mus: multa ignoscimus, multa condo-  
namus: (vt pueris stimulante fame per  
imprudentiã verminosos fructus, alios  
ve cibos infalubres avidè glutientibus;  
indeq; morbos & tormina sentienti-  
bus) Deumq; vt vltèrius eorum pe-  
tora collustret, ardentè obtestamur.  
At verò quis Ecebolos istos ferat, qui  
primò doctrinam Ecclesiarum nostra-  
rum Augusta. Confessione repetitam,  
publicè professi: solennibus subscripti-  
onibus constantiam iurati: mox ad Cing-  
lij, Caluini, Bezæ, nœnias adhinniunt:  
dictoq; citius, desultoria prorsus leuita-  
te, tanquam scurræ Velites ab agnita ve-  
ritate deficiunt? Sed quia de talium  
homi-

hominum stultitia & futilitate dici ut  
 flagitij postulat atrocitas, vix potest:  
 Causæ verò quæ nos in Fidei nostræ ve-  
 ritate, præsertim aduersus Calvinistas,  
 similesq; fanaticos munire debent. pau-  
 cis hoc loco exponi vix ac ne vix quidem  
 possunt: alibi verò prolixè à nobis expli-  
 catæ sunt: finem dicendi faciam, simul-  
 atq; precib; Epilogum termina vero:  
 breuiq; Anacephalæosi præcipuas no-  
 stræ orationis partes complexus fuero.

Audiuimus, quanta necessitas Man-  
 dati, comminationis, Obtestationis Di-  
 uinæ, nostræq; Obligationis & conscien-  
 tiæ maioribus nostris incubuerit, & no-  
 bis omnibus etiamnum incumbat, Pa-  
 patum remis quod aiunt, velisq; fugien-  
 di: Particulatim recensuimus Legalis  
 & Euangelicæ Doctrinæ capita & ora-  
 cula, quibus omnes Creaturæ rationa-  
 les debent obedientiam: quæ credendi  
 & agendi normæ sunt certissimæ, Ca-  
 techisticis tabulis comprehensæ: Mon-  
 strauimus ex Aduersariorum Synodali-  
 bus & Catecheticis vel potius Cacoë-  
 thicis & Cacurgicis scriptis blasphemias  
 & diuinæ Maiestati ex Diametro rebel-  
 lantes.

lantes Antilogias: quas non modò scrip-  
tis & Disputationibus sed, Vicennialibus  
in Belgio, peneq; Tricennialibus bellis,  
& innocentum Martyrum lanienis &  
mactationibus, non ipsi modo defendunt,  
sed toti Christianitati obrudunt & ob-  
trudunt: instar sceleratorum Gigan-  
tum cælo indefinenter oppedunt: omnè  
rectè viuendi, credendi, precandi, sacris  
Mysterijs litandi, Diuinas Hierarchias  
ornandi rationem polluunt, inuertunt,  
euertunt, tanquam Christi hostes, An-  
tichristi maniplares profligatissimi.

T V sempiternæ Bonorum omnium  
largitor, malorum depulsor, Pater Dn.  
Nostri Iesu CHRISTI, benedictus &  
collaudandus es in secula: qui ex illa te-  
nebrarum (plusquam Cimmeriarum &  
Ægyptiarū) Potestate nos eruisti: sa-  
lutiferum Euangelij iubar per electum  
tuum Organon MARTINVM LV-  
THERVM vi Spiritus Sancti Para-  
cleti, nostris pectoribus irradiasti: Lucē  
hanc admirabilem, licet varijs dextra  
sinistraq; technis attentatam, & pericu-  
losa fuligine passim interspersam: be-  
nignè per Orthodoxos Doctores adse-  
ruisti:

uisti: Multorum Regum, Principum,  
Magnatum præcordia, veritatis huius  
amore inflammasti: Constantiam &  
perseuerantiam plurimis in agnita re-  
ceptaq; Religionis forma mirificam do-  
nasti.

Confirmam nunc, O præpotens re-  
rum omnium Moderator, quod opera-  
tus es in nobis, propter Templum san-  
ctum tuum: Auge numerum illorum  
Dynastarum & Procerum, quos veluti  
S C V T A terræ, tuiq; Gregis propug-  
nacula nobis clementer ordinasti. Dis-  
solue colligantias impietatis & vincula  
dirumpe:munitiones, ὀχυρώματα, ὑψώμα-  
τα, πανουργήματα destrue: quibus Pompi-  
lexille Romanus Cardinales, Archie-  
piscopos, Episcopos, Abbates, Præla-  
tos, Canoniorum collegia, similiaq;  
sue tyrannidis armamentaria colliga-  
vit, & aduersus Unigeniti tui Maiesta-  
tem sese exaltavit: Reprime scandala  
nostri etiam Agminis multiplicia, qui-  
bus aduersariorum plurimi, (ceteroqui  
minime mali) deterrentur, ne Doctri-  
nam nostram, cui tamen S. Scripturas  
palam vident patrocinari, se adiungant.  
excita,



Excita, tuere, gubernas pios Euangeli-  
 stas. Ut numerus Electorum tuorum in-  
 gens & illustris, unusq; tandem Pastor  
 & unum Ovile fiat: nostræq; vocis con-  
 cors & vnanimis collaudatio te per or-  
 bem terrarum, & in omnem æter-  
 nitatem sine fastidio, sine fine  
 concelebret, Amen,



STV.

STVDIOSIS  
LITERATAE PIETATIS IN  
Ecclesia & Inclyta Schola  
Halensi S.

**M**ARCVM ECCLESIAE  
Romanæ præulem, Christiane  
Lector, eum qui, Constantino  
magno imperante, Syluestri  
successor in Episcopatu fuit, hoc  
inter cætera constituisse perhibent  
Historiographi. vt Dominicis festisq; dieb<sup>o</sup>  
post lectum Euangelium in templis,  
Symbolum Nicenum, Musicis numeris  
comprehensum & ornatum, à Presby-  
teris pariter & toto coetu fidelium, clara  
voce decantaretur. Memorabilis sanè  
omniq; laude dignissima, nec non mul-  
tis Episcoporum Romanorum ceremo-  
nijs & ritibus, superstitione passim aliàs  
cumulatis, longè præferenda constitu-  
tio: Quæ declarat eum, vt vigilem Do-  
minici gregis pastorem, & sinceram Spi-  
ritualis pabuli puritatem magnificisse,  
& posteritati contra pestes hæresium, &  
fraudes rapacium luporum, alexiphar-  
maca

maca studiose prouidisse. Considera-  
 uit procul dubio, mirificum Dei benefi-  
 cium, quod in Synodo Nicena ante sex  
 annos afflictæ Ecclesiæ præstitum, & per-  
 honorificum testimonium, quod labo-  
 ranti veritati clementer collatum esset.  
 Veritus igitur, ne, vt sunt humana, om-  
 nibus fato sensim in peius ruentibus, &  
 ingratis hominum cordibus opera Do-  
 mini non attendentibus, atq; auribus  
 multorum, vanissimæ nouitati potius,  
 quàm immotæ veritati deditis: nisi pio-  
 rum & pastorum, & auditorum, con-  
 iunctus Zelus contra niteretur ac perse-  
 ueraret: aut omnis tam egregiæ confes-  
 sionis fructus paulatim penitus oblitera-  
 retur: aut admodum exiguus, successu  
 temporum & ætatum, duraret. Melo-  
 diam igitur A Eolij Modi (de quo dubi-  
 tes, grauior ne sit, an suauior) sacro fan-  
 ctis verbis adhibens, Arrianis blasphemis,  
 velut Stygij leonis rugitui, præcla-  
 rum illud Symbolum censuit opponen-  
 dum, & quidem non vnus hominis,  
 sed coniuncta totius agminis voce publi-  
 candum & inculcandum: non septimo

E

quo

quoque Anno, ut Scenopegijs Lex Mo-  
saica solebat: idque iussu DEI opt.  
maximi (Deuteronomij 31. Post an-  
nos septem, anno Remissionis, in fe-  
sto Tabernaculorum, convenientibus  
cunctis ex Israel, leges verba Legis  
huius coram toto populo) sed septi-  
mo quoque die, adeoque in omni-  
bus piorum congressibus.

Utrum hic magis pietatem, an  
vero prudentiam ac doctrinam, an  
magnanimitatem & constantiam, an  
felicitatem successus admirari ac ce-  
lebrare conueniat?

Pietatis fuit pastoralis, quod  
orthodoxam Confessionem omni ra-  
tione propagandam duxit.

Prudentiae, quod Musicen, & qui-  
dem dulcissimum & excitandae animo-  
rum religiosae devotioni accommoda-  
tissimum genus Harmoniae delegit:  
quod iuventutem Scholasticam Pro-  
pheticis & Apostolicis canendi exer-  
citijs, velut tenellos agnos cum ad-  
ulto grege pariter voluit exerceri:  
Omnes aures salutaribus vocibus cir-  
cum

cum sonare, omnium linguas iacula  
in hæreticos vibrare, & sic in salvifica  
Confessione velut conspirare, voluit.

Magnanimitatis & Constantiæ,  
quod Iudicia sciolorum, & omnis  
Novitatis rigidissimorum censorum,  
itemquæ Scepticorum & Neutralium,  
quibus aduersus hostes publicæ Con-  
fessionis perlunctoriè tantum, non  
feriò, & musitando potius, quàm  
canendo aut clamando, rem geri pla-  
cet (qualium omnibus locis & tem-  
poribus vber prouentus esse consue-  
vit) Iudicia non flocci pependit: ijs  
que haud dubie (vt fieri ne cesse est)  
viriliter obstitit. Felicitatis, quod il-  
le mos non in Romana duntaxat Ec-  
clesia receptus atquæ retentus fuit: ve-  
rum etiam in vicinis regionibus, adeo-  
quæ ijs, vbi nullum vel tunc vel etiam se-  
quentib<sup>9</sup> aliquot seculis, ius habuit Ro-  
manus Episcopus, percerebuit, & peni-  
tus inoleuit: Atquæ in hunc etiam vs-  
quæ diem studiose passim seruatur:  
cum tamen author huius ritus vix tri-  
ennium B. Platina teste, in Episcopali

munere superstes fuerit. Neq; vero dubium est, ista ratione, suffragante pijs ceremonijs reliqua Presbyterorum diligentia, Ecclesias in Occidente, compluribus locis doctrinæ puritatem retinuisse, & blasphemijs ac subdolis confessionibus Arrianorum felicius, quam Orientales, obstitisse. Mirabilis enim vis est piorum carminum, ad mentes fidelium tam erudiendas, quam unien- das, & confirmandas: præsertim si, quod assidue cantatur, assidue etiam ac diligenter docendo exponatur.

Vellem nobis idem hoc miserabili, & errorum hæresiumq; feracissimo seculo, contingere posset: ut quæ Dominus benignè largitus est, adversus fanaticorum imposturas, illustrata, Deiq; verbo contentanea symbola (Augustanam dico Principum aliquot Germaniæ confessionem, & reliqua Libri Concordiæ iunctim excusa scripta, quibus illa ipsa decantatissima Fides Niceni concilij, in vestibulo veluti præmittitur) ea nos & animis, & auribus, & linguis, & manibus hominum quàm commendatissima red- dere.

deremus. Quid enim ad æterni dei gloriam accommodati? quid Domino Seruatori gratius? quid omnium ordinū hominibus fructuosius, quam coelestem sonare veritatem, & impostorum reprimere peruersitatem? Sed si minus imitatione tantam illius statuti præstantiam & felicitatem consequi possumus: voluntate certè, per Dei gratiam, proximè accedimus: & vt indies plus etiam narrare possimus & efficere, votis ardentibus & assiduis conatibus meritò elaboramus. Non enim lucerna subter modium ponenda, sed sic, ut omnibus in domo Domini versantibus lucere possit, in illustri loco collocanda. Verum vt Satanas in hac extrema mundi senectâ, mille dolis ovile Christi aggreditur & oppugnat: ita varietate sectarum & corruptelarum accidit, vt vix ac ne vix quidem tam breui cantico nostrarum Ecclesiarum confessionem, & fanaticorum errorum condemnationem, quemadmodum à Marco illo Romanorum Episcopo factum diximus, comprehendere, mentesq; fidelium confirmare simul possimus.

E 3

simus.

simus. Quamobrem, quod pro re nata Medici faciunt, ut nunc simplici aliquo, nunc composito medicamento, nunc vero pluribus, atque etiam ex diversis operosioribus antidotis, iterum iterumque petitis remedijs, diversorum in vno corpore morborum *συνσπουλῶν* amoliantur & expellant: Sic multiplicibus iam, iisque periculosissimis morbis Ecclesiastico corpore direxato & convulso: multiplex etiam in explicandis veris, & refutandis damnandisque falsis, medicina fuit paranda: resque demum eò deducta, ut hostibus veritatis hinc etiam captata sit & reperta prolixitatem calumniandi materia, sicuti nunquam adversus morsum Sycophantæ satis potuit efficax inveniri remedium.

At vero nos iis, si nihil aliud, saltem illud S. Hilarij lib. 2. de Trinitate possemus opponere, Compellimur hæreticorum vitijs, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui,



qui, inconcessa præsumere, & in vitium vitio coarctamur alieno.

GRATIAS autem æterno Patri maximas nos agere par est: qui non desinit pro sua bonitate sapientiaquæ viam ac rationem monstrare, subsidiaquæ suis adiungere, quibus freti, canticum Moïsis & agni, sicut Apocalypsis loquitur, assiduè cantare, cytharaquæ spirituali, CHRISTI laudes resonare possimus. Variæ sunt autem cytharæ istius chordæ, pro ut charismata Sancti SPIRITVS alijs alijsquæ diversimodè conferuntur: Huic enim datur sermo sapientiæ, alij vero sermo cognitionis per eundem Spiritum, alij fides, alij dona sanationum, alij discretionum Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum, ait Apostolus 1. Cor. 12.

Quoniam vero solent à pijs ista, multifaria referri ad pulcherrimam Ecclesiasticæ gubernationis & ædifica-

tionis harmoniam : non sine causa confertur passim in Psalmis, salutiter & veritatis propagatio, cum suavissimis canticorum & hymnorum melodijs : Neq; vero tantum sacrosanctum Spiritus ministerium, & quicquid agitur verbo Dei prælegendo, doctrinas explanando, exhortando, consolando, disputando, redarguendo, corripiendo, catechilandò : verum etiam quicquid in toto vitæ vel Ecclesiasticæ, vel Politicæ, vel Oeconomicae curriculo geritur. Ratio videtur istius locutionis præcipua, quod ut Musici non nisi singulari & accurato iudicio Modos siue Tonos, uti vocant, miscere : nunquam autem leges Symphonicarum violare, sine turpi vitio, possunt : Sic neq; in officiis vitæ Christianæ, vel ordinum confusio, vel præceptorum coelestium, quib; Domino canticum novum cantare iubemur, violatio, sine crimine possit contingere. Sed ut cætera vitæ genera missa faciamus, Scholæ non magis ab Ecclesijs, quam viuum corpus à suis visceribus ac membris disiungi, ideoq; non aliter, quam canticum Domini

mini

mini vnanimi voce, & concentu assiduo, si modo incolumes esse velint, resonare possunt.

Quamobrem cum hactenus exemplo laudatissimorum Antecessorum, studiosæ iuuentuti in inclyta hac Schola, laboris aliquid utilis ac salutaris nauare conatus sim, deinceps etiam illud institutum, iuuante Christo, continuare, necessarium arbitrabor. Et quoniam omnino discipulis monstranda sunt fidei nostræ de singulis articulis, præsertim hoc seculo controversis, & contra Pontificios, Anabaptistas, Sacramentarios, aliosq; fanaticos variè disputatis, fundamenta, contrariorumq; sophismatum vanitas & ruinosa fulcra: decreui deinceps, Diuina iuuante clementia, Confessionem Augustanam, & Epitomè libri Concordiæ Lipsiæ nuper excusam, cœlestis doctrinæ studiosis interpretari. Quâprimùm verò loci alicuius doctrina fuerit absoluta, eum paucis thesibus inclusum, publicè disputandum proponere, & Paralogismos Adversariorū obiectos, sub veritatis cenfuram revocare. Vbi

E s

Græ.

Græcæ huius confessionis Paraphra-  
 seos, olim apud nos ante 30. circiter  
 annos elaboratæ, quæ iam recuduntur  
 exemplaria, nacti fuerimus: eandem  
 coniungemus: & insignia quoq; dicta  
 Prophetica, Hebraicè descripta, singu-  
 lisq; locis accommodata, diligentius  
 ex Idiotismis linguæ sanctæ scrutari &  
 expendere, in gratiam provectorum,  
 studebimus. Neq; vero dubitamus cum  
 hæc opera non aliò, quàm ad DEI  
 gloriam, & incorruptæ veritatis, mini-  
 sterio S. Lutheri nobis divinitus resti-  
 tuta, propagationem, & studiosæ iu-  
 ventutis utilitatem spectet: quin om-  
 nes pij sint bonam in partem, quod  
 bono studio fit, interpretaturi. Or-  
 diar autem hunc laborem, proximo  
 die Mercurij, Hora Nona, si Domi-  
 nus voluerit. Benè in Christo valete,  
 totamq; hanc Ecclesiam, Scholam &  
 Rempub: votis ardentibus ac indefes-  
 sis Immanueli nostro commendate.  
 Halæ Saxonum M. D. LXXXVII.  
 Die Epiphaniarum

Vestri studiosiss.

Johannes Olearius

S. S. Theol. Do.

SECUNDA O.  
RATIO,

DE MODO

FUGIENDI PA-  
PATVM.

**Q**VE Madmodum ex simplicissima  
brevissima que puerilis Cathe-  
chesios doctrina demonstrari possit,  
fugiendum vniversis & singulis Christi-  
anis esse Papatum Romanum, ceu ip-  
sissimum Antichristi regnum, Prophe-  
ticis Apostolicisque Vaticinijs præ-  
nunciatum: satis arbitror explicatum  
oratione Superiore, A.V.D. Ornatissi-  
mi. Quamvis enim vberius omnino  
tam ardua Quæstio tractari potuis-  
set: sicut etiam prolixis multorum ex-  
cellentium Theologorum voluminibus  
illa cernitur evoluta: nostra tamen  
tractationis forma, certi temporis  
veluti metis circum scripta, nequa-  
quam aut disputationes fusiores, aut  
Catalogum numerosiorem admittit.  
Nec

Nec quidquam vetat, cum omnia sint  
vnum & multa, secundum Platonem:  
cumq; D. Bartholomæi dictum feratur,  
Euangelium esse longum, & breve: quin  
fufius alibi dicta, brevius alibi dispu-  
rentur.

Sequitur nunc, vt de MODO a-  
gendi, quem Religionis opus tam ardu-  
um postulat, sit differendum: cuius con-  
sideratio non minoris est vltus, quàm  
hucusq; tradita de illo, quod tactu ne-  
cessarium est, commonet actio. Quod e-  
nim de alio rerum genere dixit poëta,

*Est modus in rebus sunt certi denique fines.*

*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Idem locum habere debet & potest  
in eo ipso, quod in manibus habemus, re-  
ligionis negotio. Optima causa malè  
agendo corrumpi, deterrimaq; reddi  
potest. Optimum quoq; hoc institutum,  
fugiendi Papatum, & vniversas Pon-  
tificiæ Synagogæ Idolomanias (qua-  
rum satis verbum audivimus Elenchū:  
neq; tamen decimam partem, aut vice-  
simam complecti potuimus) multis pror-  
sus infructuosum, imò perniciosum &  
ipsis

ipsis, & discipulis ipsorum fuit. Execra-  
tus est Papam Romanum Thomas Mo-  
netarius, seditiosorum Corydonum sig-  
nifer & seductor: purissimum crepavit  
Evangelium: Sectatoribus suis veram  
promisit libertatem, & spiritualem, & se-  
cularem. At miserimè suos prodidit,  
secumq; perdidit.

Anabaptistarum Regulus seu Basi-  
liscus in VVestphalia, Iohannes Leida-  
nus, octennio post, similiter inuectus est  
in Dominatum R. Pontificis & Episco-  
porum. Suum quoq; præulem Mona-  
nasterientem, omnesq; ipsi obnoxios,  
suæ verò factioni adversarios, profliga-  
vit: Novam Ierusalem, & regnum quod-  
dam in terris cæleste venditavit. Sed  
hallucinatus, imò furiatus fuit turpissi-  
mè. fumum fugiens, in medias flammæ  
impietatis & blasphemiarum cum tota  
cohorte sua prolapsus est. Ariani & An-  
titrinitarij recentes, M. Servetus, V.  
Gentilis, G. Blandrata, Fr. Davidis, cæ-  
teriq; blasphemi in Transsylvania Sum-  
mæ Trinitatis & Catholicæ fidei hostes,  
abominantur Papatum vehementer:  
odioq;

Odioque Antichristi clamitane se vfi-  
tatem de æterna Deitate Christi, San-  
ctiq; Spiritus Confessionem, tam vi-  
rulenter oppugnare: sed hoc est, ip-  
sum Christianismum vnâ cum Anti-  
christianismo pariter evertere.

Quid multis? Passim reperias in-  
ter nostros etiam, qui ludibrijs & sa-  
rcasmis iisdem tam Pontificiæ quàm  
nostræ Professionis capita traducunt  
& vanitatis insunulant: qui proram &  
puppim pietatis in eo collocant, si  
strenuè condemnent, maledictis, con-  
sumeliosis pasquillis, & Epigramma-  
tis deformant ac infament dissenti-  
entes: interim ab omni serio Religi-  
osæ poenitiæ exercitio penitus ali-  
eni. Qui templorum & Monasteri-  
orum direptione, statuarum everfio-  
ne, Canonorum, Monachorum,  
Monialium profligatione, demum se-  
ditione, cædibus & sanguine, refor-  
mationem religionis & Antichristi vi-  
tationem arbitrantur constare. Nihil  
denique præstabilius, quam si Papa,  
Cardinales, Archiepiscopi, Abba-  
tes,



ees, omnesq; omnium veterum ordinum  
Ecclesiasticorum Antistites suis functi-  
onib. exturbati vel etiam occisi essent.

Verum hoc non esset, Papatus im-  
pietatem & perniciem vitare: sed scele-  
ra sceleribus mutare: monstra portentis  
explodere: malum malo deterrimo sa-  
nare. Haud dissimili ratione tales Re-  
formatores, aut potius Deformatores  
quis laudaverit: atq; Lucretius suum E-  
picurum, Ethnicorum idolorum non  
solum, sed etiam omnis religionis ever-  
sorem. de quo sic ille illaudatas laudes  
decantat:

*Humana in tenebris fadae cum vita iaceret  
In terris oppressa graui sub religione.  
Tandem Grauius homo mortales tollere contra  
Est oculos ausus, primumque obstetere calo.  
Ergo Religio pedibus subiecta, vicissim  
Obteritur: nos exaquis Victoria calo.*

Hic Satanicus Epicureorum trium-  
phus ante victoriam, declarat eos,  
omnem religionem siue sinceram, siue  
pollutam, vt carcerem perosos fuisse:  
voluptatis, & opobias, & securitatis suæ  
carnalis, & indolentiæ passim adiu-  
uienta quæsiuiffe.

Atqui

Atqui nos sciamus, edocti diuinitus, Detestandam quidem & refellendam esse Idololatriam: execrandas superstitiones, & omnes religionum imposturas: sed non imperitorum Medicorum exemplo: qui vnâ cum insanabilibus & emortuis Gangrænâ membris, integra pariter secant, aut amburunt. Quocirca ne fanaticus error magnæ multitudinis nos abripiat: discamus è S. literis non tantum, QVOD fugiend<sup>o</sup> sit Papatus, sed etiam, QVOMODO fugiendus sit. Vtrumq; pariter cognitum necessarium: vtrumq; perspicuè S. Spiritus oraculis propositum.

Nos hoc ordine Modum illum, opiulante Divina benignitate, declaremus: præcipuorumque Ecclesiæ Doctorum sententias & declarationes, sparsim adiungamus.

- I. Primum qua ratione Pastoribus & Episcopis,
- II. Deinde quo pacto Principibus, Magistratibus, & Politicis viris:
- III. Postremò quinquam privatis Verbi Audi-

Auditoribus in Oeconomico vitæ genere fugiendus sit Papatus. D. noster Iesus Christus suo S. Spiritu nos regat ac illuminet, vt veram suæq; voluntati congruentem (quæ Aurea vocatur, & quovis auro. preciosior est) Mediocritatem, excessus pariter & defectus declinantem, non modo cernamus, sed & observemus: omnibusq; Consilijs & actionibus præfixam sequamur, AMEN.

Prima pars.

DE PASTORVM ET DOCTORUM officijs in Cavendo Papatu.

Nisi præstent oculi suum in dispicienda monstrandaq; recta semita munus ægrè, vel potius nullo modo, pedes current viam mandatorum cælestium. Itaq; quod Prover. 20. dicitur, Vt oculus videat, & auris audiat, Dominus facit utrumq;, idem hic assiduis votis vt fiat, obsecrandum. Cum igitur non solum promiscuæ multitudini Auditorû Evangelij: sed etiam peculiariter dictum sit Apostolis, eorumq; successoribus, Ca-

F

vete

vete à Pseudoprophetis, Matth. 7. Exite  
 è Babylone, ne participes fiatis pecca-  
 torum eius, & de plagis eius non ac-  
 cipiatis, quia peccata eius pertin-  
 gunt in coelum vsq;. Apocal. 18. inprimis  
 huic Mandato, quotquot provinciam  
 vel in Ecclesijs vel in Scholis docendi  
 sustinent, obedientiam debebunt &  
 quidem bifariam: tum generali ratio-  
 ne personæ, vitæq;, seu conversationis  
 Christianæ: tum officij respectu. Ho-  
 nestæ vivendi commercia cum cæteris  
 fidelib. communia sunt Episcopis, Do-  
 ctinæ vox & propagatio, quæque  
 huic connexæ sunt actiones necessariæ,  
 magis peculiare ipsi ipsorumq; Mini-  
 stero sunt. Fugiendus igitur & cauend<sup>o</sup>  
 sic est pio Doctore Ro: Antichristus: exe-  
 undum sic est ex Babylone: quemad-  
 modum omnes reliqui Pseudoprophe-  
 tæ fugiendi: quemadmodum omnium  
 impiorum commercia, relinquenda: nõ  
 quidem isto duntaxat modo vt vel Ro-  
 mam, vel aliam quamvis urbem, falsis  
 doctrinis & idolomanijs Romanistarum  
 pollutam, vel Monasterium, vel Pa-  
 gum, Papatui addictum ( si forsan  
 ibi

ibi domicilium habeas ) continuo mutatione loci deseras : cum nullo Monacho vel Papista colloquaris : Alioquin enim totus mundus , qui in maligno positus est ( 1. Iohan. 5. ) simul & semel relinquend<sup>o</sup> , & è vita decedendum esset : ( 1. Cor. 5. ) quod soli Noë cum domesticis , peculiari miraculo privilegioq; Divino contigit , sed primum vera & ardente Divini nominis invocatione : diligentissima Legis divinæ Meditatione : illustri noticia & discretionem inter Christi & Antichristi regnum , dominatum , doctrinam : imprimis vera seriatq; Mandati divini consideratione , quod fugere iubet Idola. 1. Iohan. 5. Deinde pura & ingenua confessione veritatis , & refutatione vanitatis Pontificiæ : dehortatione ab idolorum cultu : exhortatione ad recipiendū sincerū Evangelij præconium. Sic Apostoli : quamvis Ierosolymis in medio Phariseorum & Sadduceorum versarentur ac docerent : tamē à Synagoga Iudaica sunt egressi : fugeruntq; de præscripto Dn. Servatoris , superstitiones & fermentum Pharisaicum & Herodianum. Sic Pau-

Ius Athenis in Arcopago, inter Aras idololatricas: inter Ethnicos superstiosissimos, tamen corde, ore, atq; opere fugit idola: multoq; rectius ea fugit: quam si nihil concionatus, citatissimo cursu duntaxat è Vico Martio simulatq; statuas abominandas vidisset, extra portam sese proripuisset. Sic incomparabilis ille veritatis assertor Lutherus, inter densa Monachorum agmina versatus: sinceræ doctrinæ studium & Papalis impietatis odium professus: eandemq; ad fidem alios cohortatus: diligenter huic edicto de fugienda Babylone paruit. Non enim mutatione loci, sed verbi Divini propagatione, falsorumq; dogmatum refutatione tum vitantur, tum destruuntur idola. Quæ verò sint falsa dogmata Papalis Synagogæ: quænam abominatio- nes præcipuæ, concionatorum Ministerio palàm taxandæ: superiore Oratione per singulas Catechismi partes, per Epitomen Legis & Evaungelij deduximus: aliàs autè ordine per XXVIII. Confessionis Augustanæ Articulos distinctè notavimus, eumq; Catalogum  
tribus

eribus Concionib. complexi sumus. Quemadmodum isto etiam consilio scripta est Augustana Confessio: primum, ut Symbolum sit nostrarum Ecclesiarum, adversus præcipuos Pontificiæ doctrinæ furores & blasphemias: Dein ut Apologia sit, adversus eorum calumnias, qui nostros cum omnibus reliquis sectis & hæresibus, tum Antiquis, tum nuper exortis, Simonianorum, Samosatensium, Manichæorum, Donatistarum, Martionitarum, VViclefitarum, Arrianorum, Mahometistarum, Anabaptistarum, Cinglianorum calumniolè comparando, & confundendo: occasionem præbuerant crudelissimis condemnationibus, proscriptionibus, & persecutionibus omnium nostræ doctrinæ tanquam à Veritate cælesti alienissimæ professorum. Pessimè autem iudicant, qui monstra Papæus pro concione taxari nolunt: ut Luth in Esa. 44. docet.

3. Ad munus vera docendi falsaque refellendi: pertinet piarum Ceremoniarum, precum, Synaxium institutio & conservatio: ubi sonet vox cælestis

veritatis, Iudex & condemnatrix vanitatis & impietatis. Vbi quod Psal. 8. canit, ex ore infantium & lactentium divina laus perficiatur: regnum CHRISTI roboretur & propage- tur: Antichristi tyrannis destruatur, Vbi quod vnus quispiam interpres S. litterarum docuit, in animos mille auditorum disseminetur: mille linguis & vocibus mox ad alios longè lateq; denunciatur.

4. Postremò fugit etiam ille Doctor Papatum, eiusq; idola, modumq; fugiendi, & è Babylone exeundi tradit: qui libris eruditè, graviter, & nervosè scriptis, absentibus idem doctrinæ genus communicat, quod præsentibus instillat. Sicut enim prophetis & Apostolis veritas propagata, & adversus sui temporis imposturas defensata est, non solum viva voce, sed etiam scriptis libris, Epistolis, obiurationibus. Sicuti priscis Ecclesiæ Præsulibus & Patribus Orthodoxis, Iustino Martyri, Irenæo, Lactantio, Hieronymo, Augustino, Basilio, Nazianzeno non tantum concionibus, ve-  
rum



rum etiam eruditis litterarum monumentis adversus præstigias Hæreticorum fortiter est adserta Fidei sinceritas: Ita nostra memoria Vir Dei admirabilis, D. Lutherus, alacri & vivaci stilo fugit & fugavit, Orbemque Christianum fugere & fugare docuit Antichristum Romanum, cum tota blasphemiarum istarum illuvie: Ita reliqui etiam fideles Evangelij præcones, pro talento Divinitus in ipsos collato, lucubrationibus pijs & eruditis, intrepidus se merito præbent Dominici gregis adversus Romuleos Lupos, Hyperaspistas. Hoc Pastorale munus, ut multiplicem requirit laborem, meditando, precando, disputando, terrendo, comminando, exhortando, consolando, tolerando, perseverando: Sic reliquis statibus & sanctis Hierarchijs, politia nimirum & Oeconomia præscribit ex verbo Dei,

*Quo quemque modo fugiantque ferantque laborem*  
*Ut poeta Verbis Stat.*

Si autem præter munus hoc Ecclesiasticum, quod verbi & Sacramentorum administratione, cla-

viumq; regni caelestis potestate conti-  
 netur: pastores extra modum vltius  
 procedant: idololatrias aras, statuas,  
 & Basilicas, templa & Monasteria de-  
 struant, spolient, evertant: expellant  
 Moniales: Bibliothecas discerpant aut  
 exurant; atq; ad huiusmodi turbulen-  
 tas ac seditiosas molitiones vulgus tri-  
 bunitijs concionibus inflamment, Ma-  
 gistratus Pontificiae Religioni addi-  
 ctos in ordinem redigant: sibiq; de-  
 ditos, ijs substituunt: id nullo modo  
 nostris vnquam Theologis probatum  
 est: quanquam à Carolo studio, & alijs  
 discipulis eius, tum in Helvetia, tum  
 in Belgio, sub initio tentatae Reformati-  
 onis factitatum. Rationes nostrae sunt:  
 Primò quia Christus iussit Apostolos  
 praedicare Euangelium: ex animis ho-  
 minum erroris & idolatriae cuiusvis  
 expurgare fermentum: non abrogare  
 vel exautorare Magistratum: non ar-  
 ripere gladium, malleum, aut Lato-  
 ni bipennem ad evertendum huius vel  
 illius vrbis Idololum. Deinde nusquam  
 vel in Actis Apostolorum, vel in Eccle-  
 siasticis Historijs legimus, Petrum, Pau-

Paulum, Barnabam, aut Timotheum Romæ, vel Athenis, Ephesi vel Corinthi, disturbandis simulacris laborem aut operam impendisse: Contrarium potius Acto. 17. legimus, Ibidem stantibus Aris ac delubris Dianæ, Martis, Castoris & Pollucis, Ignotorum & notorum Deorum, docendi munere functos: politica ista politico Magistratui, divinitus tandem illuminando, reliquisse corrigenda, & tollenda.

Tertiò legimus in Synodorum Canonibus & iudicijs illos qui, dum statuas Ethnicorum demolirentur, trucidati essent, culpatos, nec Catalogis sanctorum Martyrum illatos. hoc potissimum argumento, quod nihil tale vel præceptum, vel factum Apostolis reperiamus. Vide Tripa. Histo. lib. 10. cap. 30. Vbi imprimis Abdæ Persidis Episcopi facinus graviter vituperatur: Qui dum Pyréum, nobile gentis suæ Fanum, perverso ac temerario Zelo extirpandæ Idolomania incendit: gravissimam persecutionem & lanienam Christianorum concitat: qua

multa 30. annis continuis piorum mil-  
lia, sunt ab Rege Perlarum mactata.  
Longè rectius igitur, hanc CHRIS-  
TI regulam ( Reges gentium domi-  
nantur: Vos autem non sic ) obser-  
vare: externa publicæ Gubernato-  
rum Politicorum curæ commendare:  
quibus (vt deinceps erit differendum)  
alia quædam, officij ratione, Divini-  
tus imponuntur onera.

### Secunda Pars.

## DE POLITICI ORDINIS Officio in Fugiendo Papatu.

Si nemo Regum, Principum,  
aut aliorum Dynastarum vel patro-  
cinio suo tueri pios Evangelistas, vel  
saltem eos tolerare vellet: perpetuis  
bellis & persecutionibus Ecclesia di-  
vexaretur: in præsentem mortis pericu-  
lo Pastores & oves Christi quotidie ver-  
sarentur: sicut Apostolicis temporib.  
& Martyrii subsequentibus seculis fa-  
ctum. Dum enim Act. 18. Gallio non cu-  
rat Religionis controversias, Paulus, So-  
sthenes

Athenes Archisynagogus Corinthius,  
 & ceteri Christiani à Iudæis misere pul-  
 fantur. Itaq; Dn. IESVS ad dextram  
 æterni Patris sedens, donaque suis cul-  
 toribus salutaria cælitus demittens,  
 non modo Prophetas, Apostolos,  
 Doctores: verum etiam Principes,  
 & gubernatores religiosos, quos Psal.  
 47. SCVTA terra vocat, Eccle-  
 siæ suæ propitius muneratur. Et qui-  
 dem non minus hoc novissimo Di-  
 vine patentiæ tempore, quàm prisca  
 illa beatorum Antecessorum memoria.  
 Horum functio non minus Deo gra-  
 ta, non minus Dei Verbo sanctificata:  
 generique mortalium in salutem data  
 est: quàm Ecclesiastica Diaconia.  
 Quamobrem & hos in acie decet adver-  
 sus Serpentem illum antiquum, (qui per  
 Pontificem Romanū, eiusq; Pseudepis-  
 copos & Esauitas, infinitam hominum  
 multitudinē in Abyssum præcipitat) ex-  
 cubare: fugere Papatus inquinamenta:  
 hisque pro modo Vocationis solida  
 veritatis iustitiæque opponere funda-  
 menta. Quibus autem modis hoc  
 faciunt Principes & Politici? An non  
 falcem

falcem dicentur in alienam mittere  
 messem? An non obijcietur Dynastis,  
 id ipsos nobis autoribus affectare, quod  
 in Popa Romano consuevimus dam-  
 nare? nimirum & Spiritualem & poli-  
 ticam simul Iurisdictionem? seu utrius-  
 q; Gladij viurpationem? Nequaquam  
 id merito verequè poterit obiectari.  
 Habet enim civilis Regum, Principum,  
 & Magistratum potestas, aliquid in  
 promovendo Religionis negotio, quod  
 eius Celsitudini conveniat: ut tamen  
 vel affectatio Cæsarei Papatus, vel Po-  
 litica in rebus Ecclesiasticis πολυπραγα-  
 μοσύνη, neutiquam illis possit imputa-  
 ri. Lubricus omninò locus, fateor:  
 (cur enim manifestissimis exemplis re-  
 stata negemus?) sed tamen eiusmodi,  
 in quo laudatissimi Principes quidam  
 præclarè steterunt: Neque Criminati-  
 ones, aut leurrilem dicacitatem Auto-  
 nòmi seu Frenquentis Stellionis illius  
 (qui tam multas nuper ad disturban-  
 dam Ecclesiarum nostrarum Pacifica-  
 tionem Imperialibus & Ducalibus Di-  
 plomatis & sigillis munitam, machi-  
 nas opere Tripertito comparavit) hic  
 peccis

Inno 13  
 6. Ad-  
 sa Liber  
 sonaci,  
 11. De  
 asano-  
 100

peritimescemus. Vt enim impium est, si Reges & Monarchæ suo arbitratu subditis quamlibet obtrudant Religionem. Vt impiè & tyrannicè egerunt Ieroboam, Achas, Manasse, Nebuchadnezar, Antiochus Epiphanes, Diocletianus, qui ad Idola recipienda venerandaq; suos compulerunt: Perduelles nimirum, instar Gigantum, aduersus Divinam Maiestatem, eiusq; violatæ rei: Sic ex altera parte peccant tales Galliones gravissimè, qui ad exemplum istius Achaici Proconsulis, de quo suprâ, ex Acto. 18. mentionem iniecimus, omnem & à tribunibus, & à cognitione sua repellunt Ecclesiasticorum dogmatum tractationem. Non enim duntaxat armentarius aut frumentarius est Magistratus: qui vt Poëta loquitur,

*Annona præsit, portet frumenta penurquo.*

Sed custos vtriusque Tabulæ Decalogi constitutus est Divinitus. vt psal. 2. 47. 81. prolixè concionantur. Et nunc Reges intelligite: erudimini Iudices terræ, servite Domino in timore. Osculamini Filium, ne quando irascatur Dominus.

Aliter

Aliter autem hæc omnia Magistratibus præstanda sunt pro Personarum, aliter pro Officiorum suorum ratione: aliter quatenus homines sunt, sibiq; solis vivunt: aliter quatenus Principes, & multis hominum Myriadib. vivunt. Vt Esa. 49. docetur, Erunt Reges nutricij tui, & Reginae illorum nutrices tuæ (ò Ecclesia). Vt autem nunc officia Magistratum adversus reliquos Hæresiarchas omittam: quodnam est officium Regum & Principum, aliorumque procerum. quisnam Modus fugiendi Papatum? Hic duo genera Principum constituentur necesse est: Alij cum Politica simul Ecclesiasticam sustinent gubernationem, veteri more atq; instituto Maiorum potius, quàm expressa Christi constitutione. Quales sunt, Archiepiscopi Electorales, & ceteri Episcopi, Canonici, Abbates, præpositi, & Prælati, vt vocant, in Germania. Alij solam Politicam sustinent Potestatem, vt Imper. Romanus, Reges, Electores quatuor, Principes, Barones, Nobiles, consules & Senatores urbium. Vtrisque par incumbit conscientia, Diviniq; Man.



Mandati necessitas : non autem par obstat difficultas. Nam constituta Passaviensi Decreto Pace Religionis, desijt in Principes Augustanæ Confessionis, proscripio & persecutio, Romani Pontificis quondam incitamentis suscepta: Non tamen in eos Principes, qui locum inter Ecclesiasticos tenent, & Episcopalibus Tiaris gaudent. Hi namq; si Confessionem recipiant Augustanam, non quidem infamia vlla, qualis inuri solet Hæreticis, à Pontificia cohorte notantur: attamen loco moventur, & omni dignitate Ducali privantur. Exceptis paucis: quos Divina benignitas admirabiliter protexit,

Id verò quàm grave, quàm miserum sit onus, compendio dictum est ab illo, quisquis dixit, VBI NON SIS qui fueris, non est cur vivere velis. Mori tolerabilius est plurimis, quam è sublimi culmine rerum ad infimam detrudi. Viva praxis est hic illius oraculi, Facilius est Camelum penetrare foramen acus, quàm divitem intrare

intrare Regnum coelorum. Paucula quaedam Apostolis pro CHRISTO relinquere, non admodum fuerit fortassis operosum: at Regna, Ducat<sup>o</sup>, Archiepiscopatus, Euangelij causa vel relinquere, vel in praesentissimum discrimen adducere,

*HOC OPVS, HIC LABOR est: pauci quos D<sup>o</sup>gnus amabit*

*Iuppiter aut ardens exiit ad aethera virtus  
Dij geniti potuere.* inquit poeta.

Nos autem non de facilibus tantum: sed de talibus etiam verba facimus: quae omni humanae Sapientiae potentiaeque impossibilia: Divinae tamen bonitati gratiaeque facillima sunt.

Arma siquidem militiae nostrae non carnalia sunt, inquit Apostolus 2. Cor. 10. sed valentia per Deum: quibus destruimus munitiones, & omnem celsitudinem, quae adversus Christi cognitionem se met extollit.

Enimvero talibus vinculis, propugnaculis, Decretis, muniverat suum statum Antichristus Romanus: ut ingens miraculum ab omnibus merito pijs habeatur, illius tanta, quanta per virum Dei D. Lutherum facta fuit,

COB.

convulsio. Idem ille DOMINVS  
Zebaoth, qui cæpit, perficere non  
desinet opus manuum suarum: modo  
non habeant illi manus remissas: qui-  
bus robur addidit dextra, Excelsi. Non  
equidem de suis viribus præsumere pij  
Principes debent: neq; extra vocatio-  
nis suæ limites præfidenter ruere: sed  
tamen Autoritatem suam, Gratiam-  
q; cælestem ad illa, quæ Christus ob-  
lata, velut vtraq; manu arripere iubet,  
promptè sapienterq; conferre. Elegan-  
ter dictum,

*Principis est Virtus Maxima, nosse DEVM.*

*Principis est Virtus Proxima, nosse SVOS.*

Hæc igitur prima sit & præcipua vir-  
tus Gubernatoris politici, Divinitus  
illuminati: vt non solum, Dei verbum,  
Fidemq; sinceram in Patrem, Filium,  
Spiritu sanctum, rectè teneat: Ec-  
clesiam sanctam Catholicam & Apo-  
stolicam, ab Idolatrica, Cacolyca,  
Apostatica, qualis nunc est Synagoga  
Romana, discernat: verum Dei cul-  
tum ab impuro discriminet: Verum eti-  
am hanc doctrinam, quæ ad salutem est  
necessaria, sinceram suis subditis præ-  
sertim

fertimid suppliciter petentibus, curet  
 proponendam. Idoneos Ministros in vr-  
 bibus & pagis præficiat, qui plantent  
 arbores iustitiæ, extirpent errores sacri-  
 legos, quib. Papatus est refertus: incul-  
 cent Catechismi doctrinã miseræ plebi:  
 Sacramenta iuxta D. Servatoris sancti-  
 onem dispensent: Si qui verò pertinaci-  
 us, & immoderatus defendant veterem  
 superstitionem: vt multi reperiuntur in  
 Monasterijs & Collegijs Canoniorum:  
 eos ex solidis fundamentis S. litterarum,  
 gravi & accurata disputatione per Theo-  
 logos Orthodoxos erudiri iubeat. Syno-  
 dos etiam & Colloquia de Religione:  
 Visitationes Ecclesiarum & Scholarum:  
 Examina rudiorum, non solum instituat:  
 verum etiam prudentia sua dirigat,  
 moderetur, autoritate, præsentiaq;  
 cohonestet. Hæc sacrarum Scrip-  
 turarum oraculis, & laudatissimorum  
 Regum, Impp. Principum, Davidis, Sa-  
 lomonis, Iosaphati, Ezechia, Iosæ, Ne-  
 buchadnezaris, Constantini Magni,  
 Theodosij, Martiani, similiumq; Heroũ  
 exemplis sunt consentanea: Hæc non so-  
 lum nostræ Religioni addictorum Prin-  
 cipum

cipum ac Dominorum, Iohannis, & Iohann. Friderici, Ducum Electorum Saxoniae, Georgij, Marchionis Brandenburgici, ceterorumq; Lutheranae doctrinae deditorum, vt Lunenburgicorum, Haliacorum, Anhaltiorum Principum, Consulium & Senatorum Reip. Noribergensis, Reutlingensis, Argentinenfis, Magdeburgensis, Brunsvicensis, Halensis nostrae, Vesaliensis, Sulatensis, aliarumq; plurimarum civitatum (qui vel Augustanae Confessione primitus subscripsere: vel Colloquijs & Disputationib. de Doctrina tum Augustae, tum Ratisbonae, tum Vormatiae praesto fuere, suasq; in medium sententias produxere, vel laudatissimis priorum vestigijs institere) Catorumatis, sanctissimisq; factis consentanea sunt: verum etiam contentionib. adversarijs ab Imp. Carolo V. & Principibus compluribus pontificiae Religionis tunc Confutatione illa publice Confessoribus nostris Oppositâ, palam sunt comprobata. Collocutores quatuordecim, & Arbitri Concordiae seu Pacificationis, non ex Theologis duntaxat, sed & ex Principi-

bus, eorumq; Cancellarijs fuerunt Augustæ Anno 1530. voluntate Imp. delecti: & quidem plures Politici, quam Theologi: de quo Clarissimi viri D. D. Chytræi Historia Confess. August. fol. 238. Editio. Francof: Lat. consulatur. Quis ergo neget, Principibus & Magistratibus etiam, necessitatem hanc imponi Divinitus, ut fugiant Papatum, eiusq; facti Modum ac rationem inveniunt diligentissimam? Longè verò magis hoc illis convenit, qui sunt Archiflamines & Archimystræ, factorum videlicet Antistites, Divinis & Humanis institutis ac moribus creati. Ut cum, per Dei gratiam cernant, hæere teterissimos abusus in mentibus & moribus Populi Christiani: videantq; non posse ordinaria via per Rom. P. & Cardinalium Synedrion, aut per Vniversale Concilium hæc mala tolli aut persanari: suscipiant ipsi extraordinariè, vel singuli, vel (quod omnino fructuosissimum est) coniunctâ cum vicinis Magnatibus & *θεοδιδάκτοις* operâ, reformationem suarum Ecclesiarum & Scholarum: Causasq; subditis exponant,

nant, cur diutius tales blasphemias non possint in suis ditionibus bona conscientia tolerare: clamoresq; pauperum, veritatem Euangelij sumentium, & idola detestantium, surdis aurib<sup>9</sup> præterire.

Ita laudatissimus Archiepiscopus, Elector idem Coloniensis Hermannus, aute annos XLVII. re cum Illustriss. Electore Saxonie Ioh. Frid. & Landgrafio Hafsie Philippo communicata, Theologisq; primarijs, D. Philippo Melan. & M. Bucero, Bonnam accitis, Capitularium quoq; suffragijs & Spiritualium requisitis: salutarem illam, typis tunc excusam, sed executione, proli dolor, non potitam Reformationem meditatus & molitus est: & aliquo usq; deduxit, tametsi non, quo fuisset optandum, perduxit. Opus in eo fidelissimi vigilantissimiq; Præsulis præstitit: Quod utinam imitarentur omnes, qui Pallijs & Infulis Autolyçi Rom. frustrâ suam κακοπισίαν turpitudinem velare cogitant. Sed quid hunc agendi Modum, inquires, commendabit, qui medijs in conatibus autorem frustratus est; Vt agricolam

*Expectata seges Vanis elusit aventus?*

An non multò præstabilius fuisset, con-  
 quievise, quàm in vix exorsa Refor-  
 mationis cursu ita concidisse? Resp.  
 Nequaquam. Vult enim DEVS ta-  
 les in Vineâ sua Operarios, qui fide-  
 liter laborent: eventus futuros, qui  
 non sunt in nostra potestate, non di-  
 vinent, sed DEO commendent. V-  
 bi fecerimus quod est nostrum, faciet  
 Deus quod suum est. Indignus est  
 prosperis successibus, qui ob eventa  
 parum felicia, damnat consilium pieta-  
 tis plenum. Quæ Dominus curvare  
 voluerit, ea nemo mortalium rectifi-  
 cabit. Interim tamen non decet pi-  
 os Magistratus, otiosos se præbere spe-  
 ctatores Idolomania, qua miseri cives  
 Deum blasphemant, & catervatim in  
 exitium ruunt. Episcoporum quidem  
 & Archiepiscoporum munus hoc erat or-  
 dinarium: sed alijs incitia alijs timidita-  
 te, periculorumq; metu cessantib<sup>9</sup>, nihil  
 verat, ordinariorum vicem extraordi-  
 narios obire. Dum Leo X. PP. dum  
 Primas Germaniæ, Moguntinus Cardi-  
 nalis, Reformationem nullam admit-

tu



tunt: immo Bullatas Indulgentiarum  
 nugas & fumos, etiam contumelioso  
 in CHRISTI meritum præconio pa-  
 sim venundari mandant: Rectè Luthe-  
 rus, licet Monachus, sed tamen sacra-  
 rum litterarum Doctor, taxavit; rectè  
 Nobiles, Barones, Comites, Principes,  
 Urbicq; Magistratus per Saxoniam,  
 Sueviam & alias provincias, abrogarunt  
 abominations Monachorum. exploso-  
 q; Antichristo, sinceram Euangelij do-  
 ctrinam receperunt. In vasto pelago  
 iactati Nautæ, non semper rectum te-  
 nere possunt cursum: sæpè mutata ve-  
 lificatione, nunc dextrorsum, nunc si-  
 nistrorsum, nunc retrorsum deflectere;  
 nunc anchoram de prora iacere ne-  
 cesse est: vt tandem salvi possint in  
 portum pervenire. Sic in Ecclesiæ na-  
 vicula fit, quæ humanis nec guber-  
 natæ consilijs, nec defenditur præ-  
 sidijs. Dormitant sæpe Palinuri  
 seu Nacleri: laborant interim re-  
 miges & vectores: qui ob bo-  
 num opus quandoque lapidantur  
 aut vapulant, raro laudem aut

præmia reportant. Sic per Idiotas Apostolos Ecclesiæ plantantur & reformatantur: dum Sacerdotum Principes Ierosolymis: dum Archiflamines & pontifices Romæ: dum Areopagitæ Athenis: aut stertunt, aut crudeliter repugnant.

Quid autem? si Princeps Episcopali, vel Episcopus Principali culmine Celsitudineq; conspicuus, aut Edictis Imperialibus, aut armis etiam intentatis cogatur, aut Pontificiam suæ Diocæsi religionem restituere, aut Axioma Ducale deponere? Licebitne, Imperatori debitam obedientiam negare? vel armis, subditorum saluti & Conscientijs consulere, seque defendere?

Arduum sanè Problema: in quo solvendo præstantes quidam Theologi non solum ab alijs, sed etiam à semetipsis dissidère legimus. Imò, ne quidem Proceres Imperij totis XL. Annis, tot Comitijs Imperialibus, tot Deputatis Conventibus Legatorum & Consiliariorum suorum, certam adhuc, & utriusq; Religionis Statibus tolerabilem, promulgare potuerunt sententiam. Nam  
Passa-

Passaviensi Decreto, quo Pax Religi- Anno 15  
 onis inter Pontificios, & Augustana § 2. Pro-  
 Confessionis Status est confirmata: hoc mum 191  
 caput etiam de Reservato Ecclesiastico. 1a sed 15  
 rum insertum est: in hanc sententiam, 55. Com-  
 1115. Au-  
 gust: con-  
 firmata

Cum in constituenda hac pace Re-  
 ligionis inter alia motum fuerit, si Ec-  
 clestasticorum vnus, vel plures, à veteri  
 religione discessuri essent, quid de Ar-  
 chiepiscopatibus, Episcopatibus, Præ-  
 laturis ac beneficijs, quæ eousq; pos-  
 sedissent, seruari debeat. De quo vtri-  
 usque Religionis Status inter se conve-  
 nire non potuerunt: Ideo Nos, vigo-  
 re Mandati Cælaræ Maiestatis ac po-  
 testatis nobis factæ, declaravimus ac  
 constituimus, idq; in præsentia scien-  
 tes facimus hoc modo. Si Archiepis-  
 copus aliquis, Episcopus, Prælatus vel  
 alius quispiam ordinis Ecclesiastici, à  
 nostra antiqua religione discessurus est,  
 vt ille suum Archiepiscopatum, Epif-  
 copatum, Prælaturam, & alia benefi-  
 cia, cum omnibus fructibus & proven-  
 tibus, quos inde percepit, statim sine  
 vlla recusatione & mora (salvo tamen  
 ipsius honore & existimatione) resig-

29 net & relinquat, & Capitulis, aut ijs, qui  
 29 b<sup>o</sup> id iure Communi, aut de consuetudi-  
 29 ne Ecclesiarum & Collegiorū debetur,  
 29 aliū, antiquæ religioni adhaerentem eli-  
 29 gere & ordinare liberum sit. Qui vna cū  
 29 Capitulis Ecclesiasticis, alijsq; Ecclesijs,  
 29 iuxta Collegiorum & Ecclesiarum fun-  
 29 dationes, electiones, præsentationes,  
 29 confirmationes, veteres consuetudines,  
 29 iura & bona mobilia ac immobilia, sine  
 29 vllō impedimento, quietè retinere per-  
 29 mittentur: citra tamē præiudicium piæ  
 29 & amicæ Concordiæ de Religione in  
 29 posterum faciendæ.

Hæc sunt Pacifici Decreti Passavi-  
 ensis & Augustani verba. Quib. impo-  
 ni videtur summa necessitas illis Princi-  
 pib. qui Archiepiscopalem vel Episco-  
 palem sustinent functionem, vt, si rece-  
 perint Euangelij doctrinam, continuò  
 renuncient Celsitudini Ducali & Epis-  
 copali: neq; conentur vltèrius negotiū  
 Religionis vlla ratione apud subditos  
 suæ tutelæ commissos, promoverè.

Quid autem in tali casu videatur a-  
 gendum? Relinquere propter regnum  
 coelorum Regna mundi huius, per quàm  
 arduum; vt Tertullian<sup>us</sup> propterea censet.

at, fieri non posse, vt simul quis & Imperator Romanus, & Christianus sit.

Deferere stationem illam, in qua Diuinitus excubare iuberis pro Lege & pro Grege: in qua multarum Myriadum conscientias dira seruitute pressas liberare, salutemque perpetuam procurare polsis, impium est. Auxilio Diuino, pijsq; precib<sup>9</sup>, in Vocatione legitima non confidere: quasi Deus (vt saepe fieri videm<sup>9</sup>, & Salomon Pro. 17. docet, Cum placuerint Domino viæ hominis etiam inimicos eius convertit ad pacem) admirabiliter supra quàm petimus aut intelligim<sup>9</sup>, suum opus provehere, aduersariorumq; corda in mitiorem partem flectere vel nolit, vel nequeat: Præsidis esset parum Christiani. Cum Siracides cap. 10. sic nos erudiat, Vt in aduersitate patientes simus, & officio seu vocatione nostra, in qua vivimus, confidamus, & David regno etiam pulsus & exul, non tantum oret, verum etiam exoret sui restitutionem: idq; vi sanctionis & mandati Divini.

Cum deniq; exempla sint in prom-  
tu talium Episcopatum, vbi DEO  
Opt.

Opt. Max. largiente: Imperatoria Ma-  
jestate, Statibusq; Imperij Ro. faventi-  
pus, Papales istæ Larvæ Mitratorum  
Præsulum in Ducales Administratio-  
nes sunt feliciter conversæ: sub quarum  
Legitima gubernatione, vera Religio,  
Pietas, iustitia, temperantia, cæteræ-  
q; virtutes longè magis quam olim sub  
Antichristianis tenebris floreat:

Postremò cum adversus Reserva-  
tum illud Ecclesiasticorum, nostri Ele-  
ctores, Principes, Comites in aliquot  
Comitijs graviter protestati: & tan-  
quam de indigna suæ Religionis nota  
& præiudicio conquesti: Cæs. Maie-  
statis Responfa quædam aliquoties  
impetrarint æquiora: vel saltem mo-  
derationem in posterum promittentia.

Nec Cæsareæ M. quidquam isto  
Reservato accedat. tantum Pontifici  
Romano tyrannis illa, per fas nefasq;  
in Ecclesias Germanicas usurpata: tum  
Pallia, Annatæ, similiaq; pecuniæ Teu-  
tonicæ aucupia videantur periclitari:  
quæ tamē Imperatoriæ Maiestatī longè  
iustius, quam Pontificiæ pravitati pen-  
derentur. Ex his & similibus Divini &  
Humani

Humani Iuris fundamentis, statuo rectè D. Lutherum consuluisse Moguntino Episcopo, Marchioni, vt Samariticam illam Ecclesiasticæ & Politicæ Dominationis Confusionem, quam nominant Episcopale munus, in Ducatum Politicum mutet: Sicut in eam sententiam, Alberti Borufforum laudatissimi Principis, vt pote Agnati, exemplum, quod tum recens erat, proponit. Qui ex summo Teutonici ordinis Magistro, primus Boruffiæ Dux factus erat. Locus extat Tom. 3. Ienensi fol. 145. Multa in eandem sententiam differuntur eo Lutheri libello quem an. 1542. de Christiani Episcopi ordinatione: post D. Nic. Amboldorfij, Naumburgicam & solennem vt Præsulis novi, renunciationem: cuius paulo post faciemus mentionem, divulgavit. In summa, Nisi multò somnolentiores, præposterèq; timidiores, & stolidiores essemus nos in promovendo sinceræ nostræ Religionis negotio, & animabus conscientijsq; eripiendis, quàm Pontificij sunt in abominatione desolationis, & pernicie animarum vrgenda, prope-

peran-

peranda, mendacijs & dolis defensanda: Facile, per Dei gratiam iniri possent rationes, fugiendi Tyrannidem Papalē, eamq; carnificinam à cervicib. miterorum hominum depellēdi: quod illos, qui **SCVTA TERRAE** vocantur, omnino decebat. Nunc ista querela D. Servatoris gravissima; Sapientiores sunt filij huius seculi in generatione sua, quàm filij lucis, in Scriptura quidem extat: in animos Magnatum rarò penetrat. Hic Iurisiurandi religio qua Pontificib; & Imperio obstricti sunt Principes & Capitulares: hic metus, ne profanentur, aut discerpantur Episcopatus: hinc alia sexcenta incommoda vel potius terriculamenta piorum animis obijciuntur: quæ studiosè collegit, operosaq; verborum proluvie tutare studuit **Autonomiæ** autor **Francis. Burcharthus**, vel quisquis sub illo nomine defuncti, tanquam sub Orci galea delitescit: qui ante paucos annos Germanicum istud Opus **De Autonomia** edidit. Sed profectò etiamsi tot **Chiliadas** protulisset iste **Sophisma-**



Sophismatum, quot Decadas: nunquam tamen vim istarum rationum elidet aut subterfugiet: quas ex simplicissima Catechismi doctrina nuper produximus. Si omnes iurassetis centies, aut millies, in Rom. Antichristi Blasphemias, Idolomaniam, parricidia, Sodomiticas libidines, Expilationes, fraudes, Mendacia, Pecuniarum aucupia: Nemo tamē obligat⁹ esset vinculis iniquitatis nefariæ. Omnes Divina vox absolveret, Fugite Idola, Cavete Pseudoprophetas, Exite de Babylone. Ius Pontificale doceret nos, Augustini & Isidori sententijs allegatis, In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: revoca quod stultè vovisti. Item. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum. Et quis tandem audientes putet Papolatras, impietatis iuramentam colligantiam vrgere aulos? cum negēt illi iuramentum hæreticis servandū? Absolvant Imperia, Regna, Ducat⁹ integros: simul & semel multa hominum milia à Fide iurisiurandi, qua subditi Dominis

minis

minis suis sunt devincti : An non per-  
iurus ipse Papa cum suis, est S. S. Tri-  
nitati, cui in Baptismo stipulatus est  
obedientiam: dum omnia Verbo Dei  
& Euangelio contraria facit : Dia-  
bolo autem in perdendis animabus  
militat ? Loripedem rectus derideat,  
Aethiopem albus, inquit Poëta. Tra-  
bem è suis, Festucam dein è nostris  
oculis eximant Hypocritæ.

Quod profanatio Episcopatum  
formidatur, si Aug. Confessioni ad-  
dicti, præfules aut Canonici fiant: mi-  
rum & merum Onomatopæiæ figmen-  
tum est. & Verbo Dei, & vlti Ser-  
monis quotidiani contrarium. An e-  
nim propterea Rom. Imperium profa-  
num erit : nec amplius sacrum, san-  
ctum ve dicetur, quia Imperator no-  
ster Invictissimus ipsemet non missifi-  
cat, non Episcopale pedum aut Mi-  
tram gestat ? An non sanctitas inde  
manat, quod sanctum Dei Verbum,  
sancta Fides, sancta Religio Imperia-  
libus armis adversus Turcicum latro-  
cinium & similes Harpyias propug-  
natur ? An tempore Constantini M.  
Theodo-

Theodosij, Martiani, Caroli Magni, cum nulli adhuc tales Insulati Principes essent, non erat sanctum Imperium Romanum? Quasi verò non in Borussia, in Magdeburg. hoc Archiepiscopatu, in Numburgensi, Merieburgensi, Halberstadeni, Verdensi, similibusque Episcopalibus Dioecesibus æquè vigeat pietas, iustitia, castitas, benignitas, aliæq; virtutes sub Principibus & Gubernationibus politicis, atq; vel olim, vel hodie sub Antichristianis Harmostis. Quasi non olim Canonici scortatores Concubinarij, Mancipia Pontificum, multò rapaciores sæpe fuerint pluràq; alienarint, quàm multi mariti Antistites & Capitulares. Quasi non ob oculos versentur multæ Abbatia, multa Monasteria, multæ Præposituræ ditissimæ, pæssim in Episcopatibus vicinis, in Italia, atq; adeo in ipsa vix Roma: quæ non aliorum, quàm ipsius Pontificis, & coniatorum eius prædæ pauerunt: à nemine Lutheranorum Principum vllam vim passa fuerunt. Sed de his Lutherus in libro Contra Papatum Romanum à Satana fundatum

Tom. VII. VViteberg circa finem, vel  
Tom. VIII. Ienenſi legatur: quomodo  
Papam noſtros ſacrilegij criminantem,  
longè verius reccriminemur.

Quod autem nec ipſe docuerit:  
nec Principes Aug. Confessionem am-  
plexi, decreverint Episcopat<sup>o</sup> & Abbati-  
as profanare, totaq; iſta corpora diſcer-  
pere, & diſpertire avaris Centauris &  
Harpyis: teſtatur prolixè libello iſto,  
cuius ſuprà fecimus mentionem, de  
Ambleſorſij Naumburg. Episcopi Inve-  
ſtitura. Cauſſas etiam adducit gravissi-  
mas ad Reip. & Illuſtriū familiarum con-  
ſervationem pertinentes: cur expediat,  
hoc avaro, per avaritiam efferato, &  
rapaci ſeculo, conſervare corpus integ-  
rū cuiuſq; Episcopat<sup>o</sup> & Collegij Cano-  
nicorum. Demonſtrat etiam, quomodo  
Dn. Capitulares de ſuis redditib. ſine to-  
tius corporis deminutione, poſſint pro  
ſuis vxoribus & liberis aliquid de illo,  
quod olim & nunc alibi Concubinis  
impenſum fuit, & impenditur, compar-  
cere vel alioquin calibes (ſi dono conti-  
nentiæ præditi ſint) vivere. De Mona-  
ſterijs opulentiorib. idem ſtatuit, redi-

tus

ius illorum conservandos, & in Scholas  
eruditæ pietatis convertendos esse.  
Franciscanorum verò mendicabula,  
quia tantum oneri civibus & Rebusp:  
& pessimi res exempli sint, penitus a-  
bolenda.

Ex his manifestum arbitror, nostræ  
religioni addictos Principes, non id  
sibi propositum habuisse, vt barbari-  
em & vastitatem infinitam everfis om-  
nibus Episcopatibus, & Collegijs anti-  
quis introducant: sed omne bellum ip-  
sis ratione vocationis, adversus impia  
& blasphemata dogmata, & cultus ido-  
latrias esse susceptum.

Quod ulterius nō nulli sunt progres-  
si: quod Thomas Monetarius seditionosus  
rum Corydonū signifer, omnia vastare  
conatus est: non tantum Episcopat° &  
Canonicat° sed etiam Ducat° & Com-  
itatus: vt Hussitarum in Boëmia vin-  
dex Cisca similiter excessu plurimum  
deliquisse memoratur: Hæc, vt nemini  
bono probata fuerunt: ita in præiudici-  
um adversus veritatem & iustitiam tra-  
hi non debent. Agnosci tamen, vt poe-  
næ, iusto DEI iudicio illis irrogatæ,

qui Legitimam & moderatam abusu-  
um Reformationem, quantumvis ne-  
cessariam admittere noluerunt: tan-  
dem eiusmodi Deformationem tole-  
rare coacti sunt: pro non agnita pater-  
na Visitatione, hostilem vastationem  
merito perpessi. Quod sanè de Mona-  
steriis in VVestphalia, deq; Bel-  
gicis Corybantibus & Anabaptistis,  
alijsq; Fanaticis, qui longè lateq; bac-  
chati, omnesq; pias Ceremonias, om-  
nia vetera statuta furiosè populati sunt:  
verissimè prædictum & compertum est.  
Verum ista nec ab Ecclesiasticis, nec  
à politicis Gubernatoribus aliter quam  
contra Dei Verbum, rectè intellectum,  
fieri possunt. Iactant isti quidem di-  
cta Moïsis, & exempla Iosue, Gedeonis,  
Ezechie, Iosue, de aris & delubris Ido-  
lorum evertendis: sed aliud est piè imita-  
ri aliud *κακοζκλία* stimulari: suaq; *περπερ-  
εύματα*, quasi Catorthomata iactare.

Si cuncta, quæ tempore Papatus  
in usu fuerunt, abolenda: si nullum di-  
scrimen inter licita & illicita, inter A-  
diaphora & necessaria constituendum:  
an non etiam Vetus Novumq; Testa-  
men-

mentum: doctrinam de S. Baptismo & S. Cæna Domini, De Christi Sanctiq- Spiritus Deitate: De personali Vnio- ne duarum Naturarum, cum novis i- stis Epicureis & Sadduceis (qui Anony- mas suas pagellas clam spargunt) cum Arianis recentibus in Transilvania: cum Mennonistis in Phrysia: rejicere cogemur? Absit ergò, vt pios Magi- stratus quisquam nostrorum ad talem inflammet vesaniam. Fanaticis & lym- phatis ista relinquamus: imò verò in istis, & cum istis portenta hæc com- demnemus.

Neq; verò nostrum hoc dogma est, quod nobis affingitur ab Autonomo, Nalo, similibusq; scurris, quasi doceamus, Papam Rom. Cardinales, Epil- copos, esse trucidandos, de patibulo suspendendos, eaq; ratione Antichri- stum expugnandum & abolendum. Et si enim Lutherus in libro de Papatu Rom. à Satana fundato, loquatur as- perius: & picturis quibusdam eodem tempore vulgatis, suspendia Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, tanquam iu- stè commerita, sint depicta; Tamen

candido lectori obscurum esse non potest, ibi Divini potius iudicij rigorem, & Peccatorum Papalium enormitatē exaggerari: sicut in concionib. pænitentiae solet quàm Processus Criminalium Scabinis aut Iudicibus, aut Carnificibus præscribi. Sic Ieremias & Ezechiel, sic ipse DEI Filius Matth. 5. de ira, de convicijs, de aspectu mulieris impudico. Sic Paulus Rom. 2. de facientibus & consentientibus eodem mortis supplicio dignis: Sic Iohannes in Apocalyp. de poenis Babylonicæ Meretricis, & collusorum eius, non ad acuendos carnificum enses, sed ad convertendas hominum mentes, acerrimis invectivis & comminationibus utuntur. Quæ verò stoliditas esset, ista ratione pro tribunalibus. Sententiâ capitis de hoc vel isto tanquam capitali delicto ferre? Omnino mortis æternæ supplicio multa plectentur in illo tremendi iudicij die, quæ Magistrat<sup>o</sup> ne verbo quidem reprehendenda, nedum capite plectenda duxit. Facestant igitur **Æquivocationes** eiusmodi, in fraudē Veritatis cōtor-tæ. **Cum Carolstadium ex Mose tribu-**  
nalia



malia reformantem Lutherus refutarit: ne putemus ipsum vel sibi, vel alijs concionatorib. Criminales Decisiones vindicasse.

Nos sanè detestabilib. scelerib. constare ipsum Papatus regnum fatemur: eaq; Deum æternis inferorum tormentis vindicaturum; in hac quoq; vita gravissimas poenas non intermissurum clamitamus: Quod idem de Iudæis, Mahometistis, & Hæreticis omnib. qui nostram Religionem diris devovent ac persequuntur, asseveram⁹: Interim verò si pacificè nobiscum vivant & bello nos non invadant: à flagitijs societatem humanam destruentib. abstineant: non iubem⁹ illos trucidari. Quod si verò Turcicus Tyrannus, Si Papa Rom. vim nostris inferat: si cum persecutoribus & interfectorib. nostris conspiret, armaq; sua coniungat: Tum nostris Principib⁹ non frustra gladium esse datum, sed hoc sine, vt se suosq; subditos, adversus sanguinariorū Latronum immanitatem defendant, vimq; vi repellant, ex Verbo Dei Iureq; Naturali docemus.

Sed in hoc Munere piorum Principum,

pum, ad rationem fugiendi Papatus vel maximè pertinente, valdè disputabilis hæret Quæstio, Liceant Principib. & Rebusp. Euangelij Doctrinam amplexis, si Pontificis & pseudepiscoporum instinctu, à superiore Magistratu bellò, Religionis causa petantur (vt ante annos 45. in Germania: vt totos iam 30. annos in Gallijs & Belgio factum) armis se tueri, & iugum Antichristi Romani, non verbis tantum, sed hastis etiam, ab se proijcere? Editæ sunt in hanc sententiam contrariæ rationes præstantium & Theologorum, & Iurconsultorum:

Sed hisce rationibus id neutiquam indubitato concludi statuimus, in tali casu mox ad lævitiam Pontificis, eiusq; satellitum, aut abnegandam esse veritatem, aut cervicem latronibus per omnes Vrbes, & Ducatus, præbendas: omnemq; miseris Pastoribus, & subditis, eorumq; coniugib. & liberis defensionem subtrahendam: & instar ovium, lanijs totas Ecclesias obijciendas. Quamvis enim Calumnia seditionis cõturbare possit etiam sapientem, & frangere

gere robur cordis eius vt Salomon Ec-  
cle. 7. loquitur, Tamen manifestum est,  
inter necessariam seu extortam Defensio-  
nem, & Seditionem, ingens esse discrimen.

Primò enim consentanea Legi Na-  
turali vox illa Decalogi Divini est,  
NON OCCIDES. Consentanea Le-  
gi Naturali eiusdem hæc interpretatio  
est, Homicidium non ab autore ex dis-  
tantum, sed ab illo, qui cum potuit,  
non prohibuit, pariter committi. Quod  
si paterfamilias uxorem & liberos, vel  
latronis vel Tyranni sevitia potuit eri-  
pere, nec eripuit: prodidit & perdidit  
charissimas animas, quas debuit serva-  
re. Sic in officijs Cicero, dictante  
Ratione, sapienter verèq; disputat, E-  
um, qui non resistit, cum potest, iniu-  
ria: tam esse in vitio, quam si parentes,  
aut patriam deserat. Vt D. Ambro-  
sius graviter, Pasce esurientem, si non  
pavisti, occidisti. sic rectè dicimus, E-  
ripe periclitantem: si non eripuisti, in-  
teremisti. Ratio, quia quod hinc Na-  
tura suggerit, S. Scriptura nominatim  
iniungit, Prov. 24. Erue illos qui ad

mortem rapiuntur, nec subtrahere te illis, qui ad necem deposcuntur: Si dixeris. Non intelligimus, an existimas cordium cognitorem id non vindicaturum, qui vni cuiq; demum pro meritis Operum, rependet? Hæc non de fontibus, iusto iudicio damnatis, quos impune dimittere scelus est, sed de infontibus, per calumniam oppressis, legitima ordinariæ Potestatis, vel extraordinariæ Vindicta liberandis, accipiantur.

In primis igitur illi compellantur, quos gladio & autoritate DEVS armavit, bonitatisq; suæ vicarios ordinavit: qui Magni patroni, Tutores, nutritij, & amici multorum inermium Pastorum & orphanorum sunt. Hi graviter peccant, si (vt supra dictum) tales Galliones sunt, qui Sosthenem colaphis & pugnis impune cædi patiuntur, Actor. 18.

Cum Ionathas piè protexerit Davidem, contra patris crudelitatem: Cum Aulicus Abdias centum Prophetas contra R. Achab & Iezabelis edicta iuste defenderit: Cum Iudas Machabeus eiusq; fratres, Encomio Danielis Prophetæ

phetæ celebrentur : tanquam sancti propugnatores piorum aduersus Syriaci Regis Antiochi Epiphaniſis ( qui ordinarius eorum Magiſtrat<sup>9</sup> erat ) diritatem.

Cum Conſtantinus M. aduersus Licinij Tyrannidem Episcopos & presbyteros laudabiliter defenderis : quamvis affinis & contaderati collegæ.

Cum Chriſtiani Reges, Impp. Principes, aduersus Saracenorum & Turcarum in Chriſtianos rabiem bona conſcientia præliari : eorumq; latrocinijſ pro virili cõtravenire poſſint. Quid cauſæ fuerit, cur Reges, impulſore Antichriſto gratulantes, non liceat inferiori Principi a Sacerdotum & fidelium cervicib. amoliri?

De Armenijs legimus apud Euseb. Hiſt. Eccl. lib. 9. cap. 8. apud Nicephor. & alibi, quod Imp. Maximiano ad Idolatriam ab agnita Veritate Religionis Chriſtianæ ipſos compellere ſuppliciorum terroribus volenti, armis repugnarint. Neq; reclamaffe hiſce factis, tanquam impijs, leguntur Eccleſiarum Antiftites: geſtarumque in illis rerum Scriptores.

Aliæ quoq; rationes graviffimæ: Ut quod Euâgeliõ Politias & officia Politici

Magi

Magistratus (inter quæ potissima est, defensio adversus lævitiam tyrannicam) non aboleat: sed magis confirmet, adduci possent.

Explicari quoque obiectiones usitatae & Oracula spiritus S. prolixè poterant: solidisq; rationibus evinci: non hanc esse dictorum eiusmodi sententiam, quasi piorum Magistratum in subditorum innocentum cæde prohibenda Zelus, tanquam scelus, autoritate cælesti damnetur: sed iam sentio me fines huius Orationis propemodum egressum: itaq; Resutationem aliò rejiciendam.

Postremò restarent aliquot Quæstiones expediendæ: De locietate Defensionis ergò, deq; officio in Diversis sectis, aut oppugnandis, aut tolerandis, Sed temp<sup>o</sup> postulat vt Extrema brevils. expediamus, & sic peroremus.

Tertia Pars.

DE PRIVATORVM OFFI-  
ciji in Papatu Fugiendo.

Etsi Dominus Servator Matth. 24.  
de abominatione desolationis in loco  
sancto

sancto stante vaticinans, fugere ad mon-  
 tes iubeat. nec quidem ex agro domum  
 redire, vt vtilium non nihil ex ædi-  
 bus asportes, permittat: quæ loci mu-  
 tationem præcisè videntur vrgerè: Ta-  
 men, vt & suprâ dictum, & à D. Chryso-  
 stomo scriptum, Ninevitas non loco-  
 rum mutationi, sed morum emendatio-  
 ni salutem credidisse: ita nos imprimis  
 Fugam cordis, & mentis, & Fidei, qua-  
 lis omnino primaria ratione requiritur,  
 attendamus. Qui enim toto pectore  
 non fugiet: is etsi corpore fugerit, fa-  
 cilè tamen cum illis Eremitis Viatoribus  
 Mosen sectatis, ad ollas carniū AE-  
 gyptiarum respectabit: Primò igitur vt  
 Papatum rectè fugias, causas fugiendi  
 tenere te oportebit: quas Oratione su-  
 periore deduximus: & quidem sic, vt  
 memineris, sine respectu personarum,  
 abominandos esse istos errores & furo-  
 res contra Legem & Euangelium à Pa-  
 pa in vectos, & mordicus adhuc defen-  
 sos, etiamsi vel Angelus de cælo, vel  
 totum Concilium tales probaret. Li-  
 benter audiendæ sunt S. Conciones,  
 studiose legendi libri, vbi recitantur  
 eiusmodi ἑλεγχματα. Quod

Quod autem didicerunt & audierunt homines privati: hoc etiam in ipsorum publica confessione, dictis, factisque pro modo vocationis luceat: Non excusent, sed accusent ac damnent Papalia contra Legem & Euangelium scelera: Non dignentur hospitio præstigiatores, impietatis Pontificiæ Magistros, sed perfecto odio detestentur, vt Plal. 139. 2. Iohan. 1. docetur.

Sacra nefaria, Missam, procelsiones, Idololatrica Sanctorum Invocatione detestabiles, ceteraq; Spiritualis nequitiae commercia fugiant.

Liberos suos nequaquam Antichristi Characterib. insigniant: in Monasteria non detrudant. Abbacias, Canonicatus, Præbendas, ijs à Papa non emturiant. Ad fideiusionem pro Baptisandis infantibus, ad nuptias, similesq; pias solennitates præfactos Papiſtas non invirent.

Ardenter orent cum tota Ecclesia publicè & privatim, vt Deus Papalem tyrannidem potenter reprimat: eiusq; munitiones, humanæ potentiae sapientiæq; ceteroquin insuperabiles, & invi-

etas,



Etas, Spiritus sui robore disturbet ac evertat: Plus enim ardentes Ecclesiæ, piorumq; auditorum preces ad evertendum Satanæ regnum, quam omnes aliæ contentiones valent. Nisi Monica mater S. Augustini tam indefinenter orasset, Ecclesia tam præstantem doctorem non haberet. Precib. fidelium patrum & matrum familias, liberorum & orphanorum, non minus, imò verò multò plus repugnāvimus Balænæ Romanæ, quam ceteris omnibus omnium conatibus.

Peccant ergo gravissimè, qui non in templis aut etiam privatim ardentè orant contra Turcicum & Papale latrocinium: Peccant, qui non officia sua, si nequeant illæsa conscientia retinere, potius relinquunt, quam ventris & culinæ gratia, D E I verbum inter Pontificios abnegent.

Impellere debet ad Papatum fugiendum omnes homines, Dei severiss. mandatum, Exite, exite. Dein scelera graviss. contra Decalogum, Oratione priore recitata: quæ non debemus participare: Tertio poenæ horribiles, quas Deus Apoc. 17. denunciât univèrsis. Postre-

Postremò brevitās vitæ huius, & fugaci-  
tas lucri & voluptatum ex Papatu per-  
cipiendarum. Faxit D. Iesus Christus,  
vt omnes Ecclesiastici, Politici & Pri-  
vati ex animo, verèq; fugiant Papa-  
les blasphemias: incorruptamq; Euan-  
gelij vocem vera fide amplectantur:  
vtq; indies plurimi ex illo Abad-  
donis gurgite emergant, &  
nobiscum salven-  
tur, Amen.

D I X L

ci.  
r.  
is,  
ri.  
a.  
ne  
:.





AB: 155706


ULB Halle 3  
001 712 527




sb

413.







B.I.G.

Farbkarte #13

DE PAPATV  
FUGIENDO, ET AVGVSTANA  
CONFessione RETINENDA,  
ORATIONES DVAE.

Habitæ in inclytæ  
Schola Halensi

à

IOHANNE OLEARIO  
S. S. Theologiæ D.

CVM PRAEFATIONE GRA  
tulatoria ad Reverendis. EPISCO  
PVM & Capitulum Hal  
berstadense.



HALÆ SAXONVM  
TYPIS ACHATII LISKANI,  
Anno Christi  
1592.

